WAL

Oratio de muneris rectoris magnifici origine

1861

IOANNIS DE WAL

ORATIO

DE

MUNERIS RECTORIS MAGNIFICI ORIGINE

EIUSQUE CREANDI RATIONE DIVERSIS TEMPORIBUS
AC LOCIS DIVERSA.

ACCEDUNT

ACADEMIARUM NEERLANDICARUM

FASTI RECTORALES.

LUGDUNI-BATAVORUM,
APUD JAC^M^. HAZENBERG CORNELII FIL^M^.
MDCCCLXI.
1861

EX TYPOGRAPHEO J. C. DRABBE.

Quicumque literarum curatione illustres, doctrinae laude clari, honorum ac munerum dignitate conspicui, aut disciplinarum studio adlecti, hoc festo die hic adestis, auditores humanissimi!

Depositis traditisque Universitatis Lugduno-Batavae fascibus, de ipso Rectoris Magnifici munere dicturus prodeo. Leve quis dixerit argumentum et ab huiusce diei solemnitate alienum? Magistratus Academici origines atque historiam e bis sexcentorum provincia exeuntium numero adhuc fuisse neminem qui exponeret, eo magis equidem miror, quo penitius haec se animo meo infixerit sententia, nullam prorsus efflorescere et stare nedum augeri posse bonarum literarum officinam, cuius principes imperio efficaci ac dignitate sunt destituti. Tempora mutari videmus et

cum ipsis nostras de rebus humanis optime constituendis ordinandisque opiniones: alia exoriri cernimus disciplinarum templa, alia dissolvi ac convelli. Nondum vero consenuit atque exstincta iacet auctoritas eius, cuius prudentiae et consilio primum barbaro quod dicunt medii aevi tempore Universitatum moderamen commissum fuit; servaturque ubique terrarum nomen antiquitus ipsi tributum. Paucis igitur dicam *de muneris Rectoris Magnifici origine eiusque creandi ratione diversis temporibus ac locis diversa.* Vos autem, qui me plus semel de meae disciplinae praestantia verba facientem humanitate vestra prosecuti estis, nunc quoque, ubi communem causam ago, aures mihi benevole commodetis.

Duodecimo nostrae aerae saeculo duae imprimis florescere coeperunt publicae scholae, altera *Bononiae*, altera *Parisiis.* Diversa vero maxime fuit utriusque instituti ratio. In utraque universitas rite ac legitime erat condita, sed in Bononiensi omne studium Iurisprudentiae finibus

circumscriptum erat, in Parisina Theologi tantum et Philosophi votis pro litterarum salute nuncupatis fiduciam praestare videbantur.. In priore licitum corpus constituebant discentes; in posteriore non studiosi, verum ipsi doctores ac magistri collegium faciebant.

Ad Universitatem Bononiensem pertinuit absque ullo dubio nobilissimum Friderici I privilegium, mense Novembri anni MCLVIII scholaribus concessum. Omnibus, qui studiorum causa peregrinabantur et maxime divinarum atque sacrarum legum professoribus hoc pietatis beneficium indulsit Princeps, ut ad locos in quibus literarum exercerentur studia, tam ipsi quam ipsorum ministri venirent tute et in eis secure habitarent. „Quis enim (ita Imperator) eorum non misereatur, qui amore scientiae exules facti, de divitibus pauperes, semet ipsos exinaniunt, vitam suam multis periculis exponunt et a vilissimis saepe hominibus (quod graviter ferendum est) corporales iniurias sine causa perferunt." Praeterea eadem lege cautum fuit, ut nullus ob debitum scholaribus damni quid inferret, sed si litem eis quispiam super aliquo negotio movere

vellet, optio ipsis daretur, utrum coram domino vel magistro suo an ipsius civitatis episcopo conveniri mallent.

Ex hisce Imperatoris verbis, (quod cum Savinii viri egregii pace dictum esto) non sine veritatis specie intelligi videtur nulla saeculo XII Bononiae fuisse Universitas, nullusque eiusdem Rector. Unusquisque scholaris suo quasi addictus fuit domino, quem audire prae ceteris gestiebat: hunc suarum litium arbitrum lubens agnoscebat. Verum enim vero sequenti saeculo ad finem vergente ingravescens scholarium petulantia effecit, ut docentes et discipuli privilegio fori, quoad iurisdictionem criminalem, sponte renuntiarent, cum per magistrum vel episcopum non posset in delicta satis animadverti. Inter Lombardos et Tuscos maxima fuit discordia, de qua componenda frustra solliciti fuerunt doctores: itaque magistratus civilis, ipsa cogente necessitate et nemine refragante, omnem fere iurisdictionem facillimo occupavit negotio. Sed eadem aetate scholares suum sibi Rectorem creare coeperunt et huius arbitrio tutelam suam committere. Resti-terunt primum doctores, deinde et magistratus

urbani. „Scholares (ita illi) qui non exercent „professionem aliquam, sed sub exercentibus „fiunt discipuli, non possunt eligere consules, „sicut nec discipuli pelliparorum vel fabrorum „aut similium corporum: magistri possunt, quia „ipsi exercent professionem."

Animadvertatis quaeso, Auditores, Azonis glossatoris rationes, quibus, post Ioannem Bassianum, praeceptorem suum, refellere conatur argumentum, quo audacissimum facinus defendisse videntur alii: easdem referunt et recentiores Iuris doctores. Scilicet ad antiqua provocat opificum collegia, iure Romano comprobata: in quorum numero erant fabrorum sodalitia, ex Plinii et Traiani epistolis vobis abunde cognita. At frustra provocavit. Summum enim Pontificem adierunt studiosi, qui eorum causam contra magistros et potestatem municipalem tueretur. Neque iis defuit Honorii III clementia. „Miramur" (hisce verbis rescribit ad Bononiensem civitatem) „quod, sicut universitas scholarium „transmissa nobis conquestione monstravit, vos „libertatem eorum infringere molientes dura „contra eam statuta noviter edidistis, nec ipsos

„rectores vel consiliarios sustinentes habere, illos „quos ad hoc praefecerant, tamquam bannitos „civitatem vestram compulistis exire, suggeren- „tibus vel legum doctoribus, qui, non commu- „nia commoda sed privata quaerentes, stare, ut „tenebantur, sententiae rectorum scholarium con- „temserunt."

Itaque Pontificis decreto stabilitae fuerunt scholarium Universitates: confirmata eorumdem, ut appellabantur, „rationabilia statuta:" agnita et in praeceptores Rectorum auctoritas. Quot vero initio eiusmodi in studio Bononiensi exstiterint universitates, non est tam dictu facile ut vulgo creditur: duae memorantur in fontibus veteris aevi historicis, Universitates *Citramontanorum* et *Ultramontanorum*. Paucis tamen lustris elapsis, quum praeter Ictorum scholas et aliae aperiri coepissent, medicorum scilicet et artium liberalium, horum studiosi suum sibi expetebant Rectorem. Post varias cum Iuris studiosis controversias, admissa fuit separata eorum universitas, *artistarum* nomine insignis.

Singulis Universitatibus suus Rector praeërat: saeculo demum decimo quinto Cismontani et Ul-

tramontani eundem cooptarunt summum sibi magistratum atque ex eo inde tempore duo quotannis Bononiensis studii memorantur Rectores, alter *Iuristarum*, *Artistarum* alter: uterque studiosorum suffragiis lectus.

Ad Rectoris officium quid fuerit requisitum, docent nos statuta, tum antiqua, tum recentiora, saepius amplificata et correcta. Est operae pretium, in ipsa accuratius inquirere, comparatis subinde cum Bononiensi norma aliarum Universitatum legibus ad eius exemplum fere redactis.

Primum requirebatur, *ut Rector esset scholaris.* Scholarium in numero computatos fuisse professores existimat summus Germanorum ICtus: equidem huic sententiae subscribere nequeo et paulatim magistros subinde ad Rectoris munus advectos esse puto, contra antiquas statutorum regulas, ut publico satisfieret commodo.

Praeterea, *ut* non tantum *vita et moribus gravis*, *honestus*, *discretus*, *quietus et iustus esset*, sed et *clericus non coniugatus.* Clerici nomine virum literis operam navantem hic significari existimant multi: quorum opinio, satis, ni fallor, refellitur Baldi testimonio, ad quaestionem,

numquid Rector scholarum laicus esse possit, negando respondentis. Insuper quod postularunt statuta, ut non modo scholaris sed et clericus esset Rector, aperte docet, idem utroque nomine neutiquam designari.

Porro requirebatur in Rectore, *ut nullius religionis esset*, i. e. nullo religiosorum voto adstrictus, et minimum *quinque annis* operam impendisset in studiis generalibus, viveretque de suo. Tandem ut *vigesimum quintum* aetatis *annum* attigisset, ut *idoneus* esset et *in facultatibus sufficienter abundaret*, ne quis ad sustinendum cum dignitate magistratum ex eo lucrum quaerere cogeretur. Si nullus esset, qui Rectoris munus peteret, Prorector eligebatur, qui vel toto anno locum tenebat, vel cedebat illi, qui se quovis tempore offerret, ut Rector crearetur. In Scholae Patavinae fastis saeculi decimi septimi plures e nostratibus memorantur, qui Prorectoris provincia functi sunt, inter *Iuristas* Petrus Langius Gouda-Hollandus, in *Artistarum* numero Henricus van der Voort, Ahasuerus Iacobus van Blocklandt et Iacobus Vischer, Amstelodamenses.

Creari Rectorem placuit ex decreto consilii, adhibitis scholaribus nonnullis, a tota universitate delectis. Cuique nationi, quae propriis gaudebat legibus, suo tempore concessum fuit, ut ex ipsa Rector eligeretur.

Maxima in Italiae scholis Rectoris auctoritas. Bononiae omnibus archiepiscopis atque episcopis praecedebat, exceptis modo archidiacono et episcopo Bononiensi. Saeculo demum decimo quinto exeunte accessisse videtur *Magnifici* titulus. Principatum quasi adeptus, docendi ac discendi studiosos intra officii fines continebat: universitatem omnem moderabatur: leges ferebat, ubi opus esset, suumque habebat tribunal, unde ius diceret. Iurisdictioni Rectoris suberant cuncti doctores ac discipuli, iurisiurandi vinculo adstricti. Frequentes inter magistratum urbanum et rectorem discordiae; pleraeque Pontificum decretis placatae, quae Universitatum iuribus augendis favebant: hinc quoque nullum coram Rectore capitale crimen. Nationi tandem Germanicae concessum, ut ipsi ius diceretur a suis procuratoribus.

Alia omnino Universitatis constituendae atque administrandae ratio fuit in schola Parisiensi. Sunt qui existiment, eam ineunte saeculo XIII a Philippo Augusto publice esse conditam: rectius vero dixeris, hunc criminalem praepositi Parisiensis iurisdictionem in causis scholares spectantibus accuratius definivisse atque ordinasse.

In studio Parisiensi non *plures* cernuntur Universitates, sed *una* tantum, per quatuor nationes descripta. Mutata temporum conditione singulae quidem exortae sunt facultates superiores, Theologiae, Medicinae et Iurisprudentiae, quae post varia fatorum discrimina eo pervenerunt, ut suum quaeque fundaret collegium; sed in ipso Universitatis gremio quasi residentia haecce collegia *Decanum* habebant, *Rectorem* non habebant. Quarta vero facultas Literarum ac Philosophiae, in quatuor nationum, Francicae, Anglo-Germanicae, Picardicae et Normannicae collegia fuit divisa et strenue sibi vindicavit Rectoris creationem. Rarius evenit, ut incerto Rectore et dissidentibus nationibus, facultatis Theologicae decanus pro tempore Universitati praeesset. Intelligitis, Auditores, Artistas non sine perpetua

caeterarum facultatum contentione sibi principatum retinuisse, nec deest exemplum decani, publice Rectori adclamantis: „non curo de prae„ceptis vestris plus quam de uno obolo!" Huic tamen continuo indictum, ut facti poenitentiam publice ageret. Caeterum universitati nemo accensebatur, nisi magister esset regens, et formula solennis qua *universitas* nuncupatur *magistrorum et scholarium*, nullatenus probat vel minimam fuisse discipulorum in Universitate gubernanda efficaciam.

Rector initio creabatur a Procuratoribus quatuor nationum, artium magistris: caeterarum facultatum socios neque ipsos eligi neque eos in suffragium ire ius erat. Postea electores nominari coepti sunt, triginta annorum maiores: in Rectore nulla aetatis habita ratio.

Iurisdictio civilis, ad Fridericiani privilegii normam Rectori mandata: criminalis olim Episcopali iudicio, mox Parliamento commissa: utraque regula haud paucas patiebatur exceptiones. Recentiori iure omnis fere cognoscendi iudicandique potestas penes Rectorem, ex consilio decanorum et procuratorum, de controversiis inter

gymnasiarchas, praeceptores, paedagogos et magistros circa rem scholasticam ortis: ab eo appellabatur Universitas; ab Universitate, licet reluctante, Parliamentum.

Ex iis quae paucis exposui, Auditores, abunde, ni fallor, apparet diversa utriusque systematis ratio. Universitas Bononiensis, ex privata clarorum doctorum disciplina suborta, scholaribus undique advenis ita crevit, ut quasi in civitate civitas nasceretur, quae suis niti possit viribus: *studiosi* suos crearunt Rectores, quorum arbitratui magistri quoque parerent. Parisiensis vero, publica auctoritate fundata, ita pedetentim ac gradatim fuit constituta, ut *doctorum* tantummodo, discipulorum vero nulla, neque in semet ipsos, agnosceretur auctoritas. Diversitatis duplex indicatur causa: altera *civitatium Italicarum ingenium*, democraticam imperii formam maxime referens et ad magistratus populi suffragio creandos pronum. Altera ipsius *scholae indoles*, ad studia Iuris Bononiae, ad Theologica exercitia Parisiis accommodata. Neutra mihi probari posse videtur. Nimirum in ipsis Universitatum Italicarum primordiis cernimus civitatium moderatores praedictae

collegii constituendi atque ordinandi rationi quam maxime adversari: iuvenes turbis concitatis ex urbe excedere et alibi refugium quaerere: perpetuas audimus ab utraque parte querelas, donec post secessionem pacati revertantur. Universitatem quidem Bononia, Bononiam vero Universitate carere non posse arbitrati, sua semper audacter propugnant privilegia, quibus demum confirmatis auctisque victores redeunt.

Quod ad alterum adtinet Savinii argumentum, hoc certe prima specie similitudem veri referre, et testimoniis ex ipsa historia petitis confirmari videtur. Adolescentes, in coenobiis et capitulis disciplinae ecclesiasticae assuefacti lubenter animum accommodasse dicuntur ad scholasticas regulas in Universitate Parisiensi receptas. Contrarium vero quotidie observare licet, libertatis umbram illos maxime amplecti, qui, moroso tandem custode remoto, cupiditatum suarum licentiae unice indulgendum esse arbitrantur. Iuris autem studiosos ad imperandum, Theologos ad parendum esse proniores, quis serio contenderit? Quo tandem, quaeso, pacto fieri potuit, ut in omni Germania atque in patria nostra, quotquot nova

condita sint humaniorum disciplinarum et libertatis seminaria, ea, ne uno quidem excepto, omnia Parisinae Universitatis formam adsciverint? Ad exemplum provoco Academiarum et *Heidelbergensis*, cuius antiquissimas leges condidisse fertur primus eiusdem Rector Marsilius ab Inghen, in Gelria nostra natus, apud Parisienses eruditionis fama clarissimus; — et *Vindobonensis*, quae *almam* vocavit *matrem* unam literarum elegantiorum facultatem, qua caeterae omnes nutriuntur ac foventur: — tandem *Lipsiensis*, cuius antiquissima fata et singularia ad promovendam humanitatem instituta nunc demum ex monumentis a Zarnckio editis plane cognoscere nobis licet. In una *Pragensi* initio Italicum, mox Francicum obtinuit systema; item in *Basiliensi* nobilissima literarum statione, cuius festum saeculare quartum nuper ita celebratum fuit, ut ditissimi emporii cives cunctis viderentur humanitatis causam et amicam eruditorum conspirationem omnibus aliis anteponere vitae humanae commodis, diu certatum fuit de optima eius instaurandae ordinandaeque forma: vicit tamen eorum sententia, qui Gallo-Germanico systemate prudenter mode-

rato disciplinarum emolumento optime cautum iri existimarent.

Quae cum ita sint, Auditores, aut fallor egregie, aut mecum diversam utriusque Universitatis naturam explicandam esse arbitramini ex diversa qualem significavi utriusque origine. In utraque doctorum ac studiosorum libertatem adspicimus praeclare vigentem: qua deficiente nusquam gentium publica inventutis institutio germinare et fructum ferre poterit. Hanc autem et mediis in bellis civilibus acriter tuiti sunt Itali: Galli vero, ad perpetiendum dominationem destinati, mox eam amiserunt, crescente cum clericorum arrogantia collegiorum numero. Itaque germana apud illos interiit universitatis notio, nomenque tamdem tributum est monstro, quod verendum est ne aliquando sua mole omnes verae eruditionis spiritus suffocare minetur.

Inchoata vixdum sacrorum emendatione novas in septentrionalis Germaniae oris atque in Neerlandia nostra conditas esse Academias, novimus. Primum a Philippo, Magnanimi cognomine optimo iure condecorato, constitu-

tum legimus *Universale studium Marpurgense*, ut in ecclesiis (ita scriptum exstat in formula reformationis Hombergensi) multiplicarentur, qui in verbo et doctrina eisdem praesidere ac quae recta sunt consulere possent. Tredecim quaesturae constitutae, unde Universitatis necessitatibus provideretur: singulis professorum ordinibus auditoria publica adsignata: doctores idonei scholis obeundis adlecti, inter quos memorasse iuvat Gerhardum Gildenhaurium Noviomago-Gelrum, virum egregie cordatum, brevi post eheu pestilentia correptum. Rector denique Universitati praefectus Iohannes Ferrarius, scriptis de iure civili eo tempore clarus. Hic per biennium munere suo functus est: sequentes annuum gesserunt magistratum: aucto vero docentium numero tempus regiminis Academici ex perniciosa Professorum aemulatione semestri fuit spatio circumscriptum.

Exemplum Philippi Hassiaci secuti sunt alii Principes. Instauravit Regiomonti praeclaram Musarum sedem Albertus Marchio Brandenburgicus, primus Borussorum dux. Nihil neglectum ut ad cathedram conscendendam permoverentur viri de literis optime meriti. Consilii auctores Philippus

Melanchton et Ioachimus Camerarius. His gravissima visa est quaestio de idoneo Rectore vocando. Primum de Christophoro Iona cogitatum, ICto Wittenbergensi, mox de Abrahamo Culvensi in Hollandia erudito. Marchio ipsum Camerarium, Melanchton Staphylum aliis praetulisse dicitur. Tandem electus est Georgius Sabinus, Melanchtonis gener. Cognita est vobis praeclari Reformatoris epistola de aperiundo ludo liberalium artium literario. Omnia ad antiquiorum Universitatum Germanicarum exemplum composita. De una vero Rectoris provincia legitime describenda insignes ortas esse legimus controversias. Sabinus, soceri auctoritate atque excellentia superbiens suaque increscente fama confidens, *perpetuum* sibi Rectoris munus acriter efflagitabat. O praeclaram viri modestiam! "Intelligere ait Albertum non esse vanum, quod Plato scribit, magnam rempublicam neque excitari neque confirmari posse, nisi ab aliquo semideo gubernetur, et magnopere optare, omni tempore Academiam florere aliquo celebri viro: id nulla alia quam hac ratione fieri posse. Numquam enim defuturum esse, qui Academiam et fama et scriptis illustret,

si tali viro, qualem ipsae leges requirunt, dignitas. Rectoris semper conferatur." Indignabundi collegae actum esse de honore sibi debito clamitant: omnibus ad recturam pariter viam munitam esse oportere: cunctorum per Europam studiorum generalium exempla probare non uni viro salutem Academiae prorsus committi posse: muneris vicissitudinem professoribus stimulum fore, ut rei literariae promovendae acerrime intendant animum. Vicit tamen Sabini sententia et Universitatis fasces ipsi in perpetuum fuerunt permissae.

Sed monent me, Auditores, temporis angustiae, ne hisce scholarum apud exteros initiis describendis diutius immorer, atque oculos convertere me iubent in praeclaras Musarum sedes, a proavis nostris in libertatem se vindicantibus prudenti ac liberali consilio conditas, quasque verae libertatis officinas esse voluerunt maiores. Vestro vero ne abuti videar patientia, in nostrae Leidensis Universitatis primordiis perlustrandis subsistam.

In prima legis Academiae formula sancitum fuit, Rectorem creari ab iis qui sunt eruntve de

universitate: prima tamen vice nonnullos ab iisdem nominandos esse, ut Arausiacus Princeps Rectorem assessoresque designare rite possit: tandem Rectorem absentiae morbove impeditum sibi ipsum constituere vicarium.

Haec vero formula displicuit magnopere iis Theologiae et Artium Professoribus, qui ex peregrinis regionibus ipso natali Academiae anno ad cathedras ornandas vocati erant. Hi, arctius Universitatis vinculum cum Ecclesia appetentes, in Professorum ordinem nullum cooptandum esse arbitrabantur, nisi qui prius doctrinae consensum cum ecclesiis manus propriae subscriptione testatus esset, et eis accenseri earumque disciplinae se subiici pateretur: ex decem professoribus, adiuncto gymnasiarcha, constituendum esse Senatum Academiae, cui uti et toti Academiae praeesset Rector, communibus suffragiis delectus, accedente presbyterii iudicio.

Princeps Gulielmus, perpensis variis opinionibus, huic Universitati nostrae, ut nemo Vestrum ignorat, novam proximo mense Iunio dedit legem: cuius prioribus articulis declaratum, totius Academiae quoddam veluti corpus unum con-

stare Rectore, doctoribus, professoribus stipendiatis munereque suo fungentibus: praeterea doctoribus et magistris qui in hac ipsa Academia titulum honoris acceperint et in ea domicilium fixerint: horum omnium societatem Senatum Academicum efficere: designationem inaugurationemque primi Rectoris sui arbitrii fore: ad calendas Februarias cuiusque anni tres, qui linguam Teutonicam calleant, maioris partis Senatus Academici suffragiis designandos ac nominandos esse, ex quibus ipse aut se absente Curia Hollandica de sententia Consulum civitatis Leidensis unum aliquem Rectorem renuntiaret: ita tamen ut in ea nominatione is quoque esset, qui tunc temporis Rectorem ageret, ut, si ita expedire videretur, Rectura ei prorogari possit: tandem Rectori integrum fore, absentiae morbive causa, vicarium sibi de consilio adsessorum subrogare.

Omnia haec plane atque dilucide descripta esse credideris: ampla tamen dubitandi, interdum et contentionum ac dissensionis materia. In quibus breviter adumbrandis hanc sequamur viam, ut primum de iis qui Rectorem creaverint, deinde de eo qui Rector creari potuerit, videamus.

Primum Academiae Rectorem Gulielmus Princeps designavit Petreium Tiaram Frisium: creavit et sequentes. Ipso absente, ex statutorum praescripto, Rectoris creandi potestas Curiae Hollandicae demandata. Eiusdem vero saeculi anno octogesimo sexto deliberatum ad quem esset deferenda electio, utrum ad Comitem Mauritium an ad Robertum Dudleium Gubernatorem. Magistratum Urbanum in consilium adhibuit Senatus, Bonaventura Vulcanio interprete. Adrianus Saravia Rector cum Houteno Hagam profectus, ut coram Curatoribus molestam ageret quaestionem. Busius Curator primum censuit adeundum esse Mauritium Comitem; post mutata sententia visus est ipsi praeferendus Leycestrius. Quod et factum est. Erratum tamen fuisse, in ipsis Senatus actis legimus. Literae, quibus Saraviae recturam prorogavit Gubernator, in scriniis Academicis extant.

Parum dissimilis quaestio anno MDCLI post mortem Gulielmi II, orta est. Duo Professores Hagam missi ad Ordines cum literis, quibus petebatur decretum, ad quos in posterum de creando novo Rectore solenniter esset referendum. Decre-

verunt Patres Conscripti se electionem sibi reservare. Anno eiusdem saeculi septuagesimo tertio easdem partes recepit Gulielmus III. Vitriarius autem noster tricesimus ultimusque fuit Rector a Britanniae rege creatus.

Principi eximio, de cuius laudibus nulla aetas conticescet, Universitatis placuerat constitutio, quam mixtam iure merito dixeris et vere liberalem. Paucissimae scriptae leges: plurima Senatus Academici prudentiae commissa. Curatorum Collegium constitutum, quorum auctoritate vel in maximo rerum discrimine Universitatis iura custodirentur eiusque commoda adversus quoscumque, non singulos tantum professores studiososve, verum et adversus ipsum Summum Imperantem promoveri possent ac vindicari. Cogitatum quidem fuit aliquando de Cancellario Academiae praeponendo: legati Senatus nomine ad Barneveldium missi, cuius summa tunc temporis valebat potestas: hic prudentissime amplius pronuntiavit.

Libertatis Academicae vindex praecipuus Rector Magnificus. Statutis cautum fuit, ut Senatus suffragio in Rectoris munus duumviri designari

possent, qui Teutonicam callerent linguam, his vero semper adderetur ille, qui tum temporis Rectorem ageret.

Qui Teutonicam, dixi, *callerent linguam!* Animadvertatis, quaeso, verborum vim, quae maiorum in condenda hac nostra Universitate ingenium egregie declarant. Non domesticam voluerunt scholam, nostratium usui accommodatam, sed Academiam Europaeam, ad quam ornandam vocarentur summi viri, ubi erudiri possent generosi iuvenes, ex quibuscumque orbis terrarum partibus in Batavorum oras advenae. Simul autem existimarunt, Universitatis Rectorem, uti morem regionis ita et civium sermonem cognovisse oportere: eos demum ad magistratum gerendum idoneos fore, qui aut populares essent aut probabilem cum Neerlandico idiomate contraxissent familiaritatem. Mox vero intellexerunt nostrates, hac lege non exteros, sed commune bonum iniuriam pati. Kalendis Februariis anni Academiae quinti natalis designatis extra ordinem adiectus D. Donellus, quamquam (ita scriptum est in actis) non peritus Belgicae linguae. Quod sequenti anno iterata vice decretum est. Nominati a nobis (sic

scribit Lipsius Rector) Grotius et Bontius, idonei viri ad Rectoratum: adiectus iis decreto super numerum, D. Hugo Donellus, dignitatis eius doctrinaeque caussa. Eadem fere leguntur in literis ad Principem Illustrissimum datis. Intelligitis, Auditores, quanti magnum hunc ICtum fecerint collegae. D. xxiv m. Octobris eiusdem anni, quo foedus Trajectinum iunctum fuerat, misso exili sermonis genere, actis aptissimo, laetabundi codici inscribunt: „Quod felix et faustum sit. Donellus sub vesperum advenisse nuntiatus est. Ei gratulandi caussa, ex decreto communi, convivium praebitum in domo Rectoris." Diem celebrant, quo prima Donelli lectio fuit. Sequenti anno duo promoti in Iure: promotor utriusque Donellus. Mortuo Aemilio Hoogevenio Curatore, legati Delphos missi, qui Paulum Busium in defuncti locum impetrarent successorem: missus cum Grotio Donellus. Talem virum, spreta lege, Recturae gerendae idoneum se habere, verbis factisque declaravit Senatus.

Integro tamen saeculo praeterlapso eadem lex peregrinum a regimine arcuit. Adseverarunt plures Senatus socii, Drelincurtium ignarum esse

linguae Teutonicae et propterea nominari non posse: ipse tamen se satis Neerlandicum callere sermonem professus est. Suffragiis initis eum nominari posse decrevit Senatus. Nominatus tamen non fuit. Re ad sortem revocata, voti compos factus non est doctissimus Boerhavii praeceptor.

Animadvertendum est liberum doctorum arbitrium in designandis triumviris nullis praeterea circumscriptum fuisse finibus. Nihil de certo facultatum ordine observando: nihil de singulis Professoribus sua quoque vice nominandis. Anno demum XXXI saeculi sequentis omnia haec a Proceribus Hollandiae mutata atque is fere ordo descriptus fuit; qui recentiori aetate obtinuit perpetuo. Cautum, ne Rector ultra annum magistratu fungeretur neve is nominaretur, qui superiori anno rectoratu functus esset, sed ad quadriennium praeteriretur, quemadmodum nec primo quadriennii eiusdem anno quisquam qui eiusdem esset facultatis cum defuncto. Porro ut e tribus facultatibus unus singulis annis proponeretur, et hac ratione, quantum fieri posset ex facultate in facultatem, nulla excepta, transiret succederetque.

Acerbe hanc mutationem perstrinxerunt nonnulli ex Professorum Collegio et questi sunt eundem, qui ante nominari debuisset, postea designari prorsus non potuisse: omnem iam senatui libertatem esse ereptam, et eo rem pervenisse, ut, si quando in maximo Academia versaretur discrimine, ii, qui rebus gerundis perquam se probassent idoneos, ipso iure ab imperii gubernaculo capessendo essent remoti: omnem denique hanc mutationem eorum tribuendam esse consiliis, qui civitati tunc temporis praeessent et summam Rectoris auctoritatem frangere omnibus modis conarentur.

Iustamne hi moverint querelam, iudicent alii. Equidem, si quod video, historiam illud nos docere arbitror, multos optimosque atque ingenii alacritate praestantes honoris maxime stimulo ad quodvis difficile atque anceps munus suscipiendum lubentissime compelli: ea vero officia, quae leges, machinae instar, ad certam definitamque vicis normam imponunt, plerisque minus grata esse et accepta. Sic multa quae honori fuerant, oneri facta sunt.

Sed diversa diversis temporibus apta sunt, et

quae olim placuerunt, hodiernae Academiarum conditioni accommodari non posse sine publico damno, consentiunt omnes.

Neque id sibi expetunt nostri commilitones, ut, Bononiensi more, quotannis Academiae Rectorem ipsi praeficiant. Iureiurando legibus Academicis fidem, Rectori obsequium non promittunt, ut olim fecerunt eorum atavi: obtemperant tamen parentque et non iurati. Sua sibi habent privata sodalitia, quibus praeficiunt quem volunt; non aegre nos ferimus; laudamus potius illorum ingenium, in ipso iuventutis fervore publico iuri tuendo compositum.

Gravissimum et hodie Rectoris munus est; arduum inprimis et aleae plenum, nisi curam levent collegarum benivolentia et civium humanitas. Utraque in rebus dubiis meam sustentatam esse tenuitatem, gratus agnosco: utraque foveatur fulciaturque vir eximius, qui mihi successurus est. Studiosi olim, me Rectore, Tibi, cl. Kuenen, studioso sodalitii sui regundi curam commiserunt: placuit tua adolescentis mitis sapientia commilitonibus. Decennio vix praeterlapso Te universae Academiae moderatorem salutant. Omnibus gra-

tiosi, singulis cari Rectoris prudenti consilio tuta, alma vigeat Mater Leidensis!

Ad alteram transeo officii partem, cum gratissimam, tum brevissime absolvendam. Tristia enim pauca referenda habeo, laeta plurima; et singulari prorsus Dei O. M. benignitate multa mihi licet hodierno die repetere, quae ante hos decem annos laeti reputavimus nobiscum.

Curatorum, virorum Amplissimorum, collegium integrum remansit. Van der Heimio, viro excellentissimo, festum gratulamur diem, quo septuagesimum nuperrime aetatis annum implere ipsi contigit. Provinciae Regis Augustissimi nomine administrandae et rebus Academicis curandis diu praeesse pergat Vir Amplissimus, sibique persuasum habeat, nos omnes pro ipsius salute sincere facere vota.

Diem supremum obiit consultissimus Dozy, qui Curatoribus per multos annos fuit ab actis. Virum lugemus humanitate et benivolentia conspicuum. Eius locum nunc occupare videmus

virum consultissimum Ianum Luzac, Academiae nostrae quondam alumnum. Tibi, vir consultissime, munus in Te collatum ex pectore gratulor. Tuum nomen Academiae Rector in album studiosorum retuli. Praeterlapso quinquennio Te promotor summis in Iuris arte honoribus ornavi. Nunc, lustro iterum condito, Te Curatorum collegio a secretis primus publice saluto. Pergat per Te florere in hac nostra civitate celebratissimum Luzaciorum nomen!

Ex Professorum ordine neminem hoc anno morte amisimus. Auctus vero et amplificatus est accessione virorum clarissimorum Fruin et Rauwenhoff. Utrique munus elegantissima ac perpolita oratione auspicato ex animo fausta quaeque sumus adprecati: preces iterare me iubet huius diei solemnitas. Ostendistis iam dudum, collegae optimi, quid a Vobis merito possit exspectare Alma mater, quae utrumque nutrivit: utroque historica disciplina gloriabitur interprete sagacissimo pariter ac fidelissimo. Pergatis, quaeso, uti incepistis: iam Vos amant collegae, diligunt discipuli; per longam annorum seriem veterem Universitatis nostrae famam stabiliatis.

Tibi vero quid dicam, honoratissime De Vries! qui collegam in rebus patriis excolendis atque exponendis nactus es, Te dignissimum? Gratulaborne Tibi onus levatum? Cui si ferendo imparem Te praestitisses, facilius citiusque Tibi auxilium fuisset paratum! Te persentiscere novimus, quid a Te, originum linguae patriae egregio scrutatore, exspectent omnes, qui illâ apte et ornate uti cupiant: communi bono privatum emolumentum postponere nullus dubitasti. Quid vero Neerlandicus sermo valeat ad eloquentiam, exemplo monstrasti in Belgarum festis, statua Maerlantio posita: quibus ita interfuisti, ut Te absente solemnitati diei plurimum detractum fuisset. Praemio honorifico, vir amicissime, Rex Leopoldus et facundiam tuam ornavit et in ipsum Maerlantium merita. Quod laetamur impense: nullumque inter mortales beatiorem existimamus senem tuo patre, qui de filiis gloriatur suae virtutis aemulis.

In enumerandis iis, quae nostro Ordini laeta acciderunt, meam praedicare liceat fortunam, qui primum Rectoris muneri valedicens Tydemanno et Hengelio, iam ante rude donatis, corporis

vigorem gratulatus sum, idque in votis habui, ut saepius, hoc solemni die recurrente, nova esset iisdem gratulandi occasio. Ecce decies adfuit et eadem iterum mihi praestatur! Venerandos ac divinis beneficiis cumulatos senes quam diutissime prospera valetudine usuros esse, ex animo voveo: vovent autem mecum omnes, qui summam eorundem in patriam ac literas merita pia mente recolunt.

Pauca iam de Academiae instrumento atque instructo addantur. Bibliotheca, curâ Pluygersii nostri, insigni crevit librorum copia, tum manuscriptorum, tum typis impressorum. Utinam brevi illis demantur, his adnumerentur Catalogi volumina! Multi accesserunt libri ex Asseni, desideratissimi collegae, supellectili literaria. Hi debentur partim Curatorum benivolae menti erga illos, qui Iurisprudentiae operam navant, partim vero dono viduae, quae, uti in luctu mariti vivit, ita eius liberalitatem imitatur.

Haud dissimile pietatis et officii in doctrinarum cultores testimonium nuperrime praebuit vir plurimum venerandus Oosterdyk, V. D. M. emeritus; cuius demortui apertis tabulis apparuit

amplam pecuniae summam adiuvandis futurorum Theologorum studiis legatam esse. Memoriam iure celebramus viri, cuius beneficentiae novum nostrae Universitatis debetur incrementum.

Musaeo Historiae Naturalis diutius praeesse noluit Vir Cl. Ianus van der Hoeven. Hoc collegae consilium dolemus, quod honestae missionis petendae sibi gravissimas causas fuisse ipse iudicavit vir clarissimus, quem eruditos per universam Europam praestantissimis adnumerare disciplinae cultoribus constat. Quod et Regem Sueciae ac Norvegiae facere docent insignia Commendatoris ad Hoevenium nuper missa. Macte, Collega aestumatissime, aucto stellae polaris splendore: Tu vero, lucidum Academiae sidus, intaminatis diu fulge honoribus!

Laboratoria recens condita usui, cui destinata sunt, tradita esse et facere satis, laetamur. Professoribus qui Chymiam et Physicam docent, ex Curatorum decreto, auxilium feliciter praebent viri doctissimi Levoir et Tiaden Modderman, Universitatis nostrae quodam alumni, scientiae laude conspicui.

Sunt et alii collegae nostri, qui, beatis hisce

minime invidentes, et ipsi idoneo ad docendum loco vehementer indigeant, cum insigni discentium emolumento. Horum, non nostram agimus causam, ubi optamus fore ut digna communibus nostris studiis auditoria parentur.

De Nosocomio tacere praestat, quam iisdem de rebus easdem semper querimonias iterare: successor in munere ut splendido hac de re uti possit encomio spero magis quam confido.

Hortus, et parte demta, pulcherrimus dici meretur novisque semper ornatur plantis, quae assiduum non exigunt tantum sed et arguunt praefecti curam atque culturam. Ad extremos eius fines iam splendet Observatorium Astronomicum, civium et fisci aere collato exstructum. Non omnia ita esse instaurata ac perfecta, ut nihil optandum supersit, quis negabit, affirmante Kaisero nostro? Est tamen aliquid, disciplinae tabernaculum condere, Viro praeclaro dignum, cuius indefessas curas terrae et aequora testantur. Ut Te, vir clarissime, gloriamur Astronomiae doctore, ita confidimus omnes, Te quascumque mox superaturum esse difficultates, iamque gaudemus aptas Tibi erectas esse turres, unde, ut ait Poeta,

caelique vias et sidera monstres,
Defectus solis varios lunaeque labores.

Tandem ad Vos mea se convertit Oratio, iuvenes lectissimi, huius Academiae cives! Unum vobis ereptum lugemus studiorum socium. Infausto fato exstinctus est Georgius Andreas Koehler, Theologiae studiosus: in paterna domo animam efflavit, viginti vix annos natus.

Alii bene multi studiis peractis nobis valedixerunt, iamque patriae atque Ecclesiae civibusque prodesse conantur. Natalem Academiae diem celebrastis, iuvenes ingenui, pompa ita ornata et ducta, ut nihil prorsus ad elegantiam ac splendorem desiderari visum sit: testati sunt innumeri cives hospites, mirati non solum spectaculi opulentiam, sed et venustatem decora ordinatione conspicuam. Pulcri amore vos imbutos esse probastis: quod magni facimus. Maioris vero habemus studiorum alacritatem et sacrum mentis ardorem ad gloriam, quo optimus quisque ducitur. Quid multa? In disciplinis graviter excolendis vos refrixisse et humo afflixisse divinae particulam aurae suspicati erant pauci, de avita Universitatum nostrarum fama solliciti: in crimen

vocati ita vosmet ipsi defendistis, ut id vobis dictum esse gaudeamus. Namque sic intellectum est ab omnibus, Deum vobis inesse, quo agitante calescitis!

Praeterea civium nostrorum in certamine literario laudem strenue tuitus est Abrahamus Kuyper, Theologiae studiosus, ab ordine Theologorum in Universitate Groningana aureo condecoratus praemio. Neque hodie desunt qui eam fortiter vindicare conati sint. Facultatum iudicia de responsis ad quaestiones propositas audite.

(*Praeleguntur iudicia ab Actuario.*)

Iamque accedite, ornatissimi iuvenes. Paucos accedere (quid dissimularem silentio?) equidem doleo et feliciorem praedico Academiam, quae non multos habet cives albo inscriptos, plurimos vero horum optime paratos ad studia et victores in certamine literario, quam numerosissimum alumnorum gregem, quorum pauci palaestrae operam dare et ad eruditionis laudem contendere possint ac velint. Tantane hodie plerosque tenet inertia, ut ne ad illud quidem adspirent praemium, quod Regis Augustissimi munificentia

paratum est? Admirari cunctos decet eximiam Principis virtutem, quem his ipsis diebus, ubi miseris civibus aquarum nivalium saevitia obrutis auxilium ferendum fuit, minaces spumantesque et adstricto gelu horridas undas aspernari atque ex imo arcae suae fundo haurire audivimus, legimus, vidimus, — nec tamen minus placidis favere literarum exercitiis! Accedite, inquam, generosi adolescentes, accipite quam meruistis palmam. Tibi nummum tradere pergratum mihi est, dilectissime Kramer. Vobis, ornatissimi van Swinderen, Snellen et Bolhuis van Zeeburgh, lubens honorificum impertior diligentiae testimonium. Singulis gratulor ex animo acceptos honores: mox facite ut ad maiora enitamini! Vos autem, cives Universitatis nostrae lectissimi! vadimonium ne deseratis, obsecro. Novi mox Traiecti aperientur ludi. Ad certamen vos accingite. Antiquam tuemini iuventutis Batavae in literis excolendis gloriam!

DIXI.

ADNOTATIONES.

P. 1. *neminem fuisse qui exponeret.* Scilicet inter nostrates. In Universitate Hafniensi orationem habuit THOMAS BARTHOLINUS, *de Rectoris Academici dignitate*, publice dictam, cum fasces Academicos tertium deponeret, d. 6 Iun. a. 1672 et mox Hafniae editam in 4°, quam tamen inspicere mihi non licuit. Vid. ALB. THURA, *Idea Historiae Litterariae Danorum*, Hamb. 1723, p. 138. Leviter hoc argumentum tractavit MEINERSIUS, in opere: *Geschichte der Entstehung und Entwickelung der hohen Schulen unsers Erdtheils.* (Goett. 1802-1805.) II. 171-175. BULAEUS, vasti indigestique operis de Universitatis Parisiensis historia auctor, librum singularem conscripsit, cui titulus: *Remarques sur la dignité, préséance, autorité et juridiction du Recteur de l'Université de Paris.* Paris 1668. 4.

P. 3. *Friderici I privilegium.* Auth. *Habita* C. ne filius pro patre (IV. 13). Apud Roncalias datum fuit a. 1158, non 1152, uti scribit BULAEUS, *Hist. Univ. Parisiensis*, II. 278, qui rationem privilegii ineptam addit, ut scilicet „Imperator scholasticos Italicos et Germanos propositis praemiis in sua patria retineret, qui peregre ad

Academiam Parisiensem ad capessendas liberales artes et sacras disciplinas eorundem privilegiorum spe proficiscebantur atque ut sic eorum parentes a partibus Adriani et Gallorum, qui Adriano favebant, averterent." Cf. VON SAVIGNY, *Geschichte des Römischen Rechts im Mittelalter*, III. 168-172. Ed. II^a (III. 152-156. Ed. I^a).

P. 4. *Nulla Universitas — nullus Rector.* Vid. quae adversus Sigonium disputat SAVINIUS, l. l. III. 172, not. e.

Inter Lombardos et Tuscos. Cf. ODOFREDUS, laud. a SAVINIO, l. l. III. 173, not. g.

P. 5. *Scholares, qui non exercent professionem aliquam.* AZO, *Lectura in Cod.* ad L. fin. Cod. *de Iurisdict.* (III. 13).

Opificum collegia. Plinii Epist. X. 42. 43. Cf. Th. MOMMSEN, *de collegiis et sodaliciis.* Kil. 1843. p. 82 sq.

Miramur caet. Cf. VON SAVIGNY, l. l. III. 176.

P. 6. *Quot exstiterint universitates.* „Es ist sehr möglich, und selbst nicht unwahrscheinlich, dass in der „ältesten Zeit mehr als zwey Universitäten bestanden." VON SAVIGNY, l. l. III. 178, not. a.

Post varias cum Iuris studiosis controversias. A. 1295. Cf. VON SAVIGNY, l. l. III. 179, qui ad Ghirardaccium provocat.

Admissa fuit separata universitas. A. 1316. Iuristarum praecedentia et recentiori tempore fuit agnita.

Artistarum nomine insignis. Similiter in Archigymnasio Patavino Artistae per longum temporis spatium Universitatem non faciebant: a. 1360 suum habere Rectorem Medicum coeperunt. Cf. VON SAVIGNY, III. 278.

Cismontani et Ultramontani. In Schola Pisana Iuristae et Artistae advenae sive peregrini coniuncti Universitates faciebant, alteram Cisalpinorum, Transalpinorum alteram: in statutis a. 1478 de uno tantum Rectore sermo est, alternis vicibus a Cismontanis et Ultramontanis creato. Cf. VON SAVIGNY, l. l. III. 305 sq.

P. 7. *Eundem cooptarunt summum magistratum.* Exemplum Caesaris Mamphraedi Neapolitani adfert SAVINIUS, l. l. p. 189, not. b. In statutis a. 1552 legimus: „tum „ultramontanorum quam citramontanorum nonnisi unus „et idem est rector." In Vicentina schola plures erant Rectores quam alibi, et eodem anno (1205) memorantur Robertus de Anglia et Gulielmus de Cancellino de Provincia et Guarnarius de Alemannia et Manfredus de Cremona rectores pro universitate scolarium. VON SAVIGNY, l. l. III. 307.

Ut Rector esset scholaris. Haec Statuta Bononiensia ex Sartii opere repetivit SAVINIUS, l. l. III. 643 sqq. Cf. ibid. p. 180 sqq.

Scholarium in numero cet. „Unter den Scholaren aber „waren in diesem Gesetz wohl auch die Professoren „mitbegriffen, welche ja in der Regel alle Rechte der „Scholaren genossen; auch kommt wirklich 1402 ein „Licentiat und 1423 ein Professor unter den Rectoren „vor." SAVIGNY, l. l. p. 190. Equidem hanc summi viri sententiam pugnare arbitror cum ipsis statutorum reformatorum verbis, ab eodem (l. l. p. 184 not *e*) laudatis: „Quinimmo antiquus rector semper stare pos„sit in universitate congregata et sedere penes recto„rem, qui pro tempore fuerit, et dare vocem in illa „*ut quilibet scolaris* de sua natione, *etiamsi* ipse esset

„factus doctor actu legens." Hinc ni fallor sequitur doctoribus legentibus scholarium iura non fuisse concessa, nisi expressa quadam statutorum sanctione in speciali causa, licet in nonnullis hi scholaribus fuerint aequiparati.

Clerici nomine — existimant multi. Ita et SAVINIUS, l. l. p. 189, 190. Monet quidem auctor, ad corroborandam suam sententiam, in Parisina universitate omnes studiosos *clericorum scholarium* nomine fuisse adpellatos: sed ex hac dicendi formula Parisiis non infrequente argumentum peti prorsus non potest ad interpretationem statuti Bononiensis vetusti. Baldi verba, ad Authent. *Habita* n°. 83, 84, ipse adfert SAVINIUS, l. l. III. 191. De *Clerici* nomine in Univers. Paris. cf. BULAEUS, IV. 294.

Caeterum ubivis, nisi privilegium esset concessum, Clericis interdictum erat Iuris Romani studio. Sed eiusmodi privilegia satis multa dabantur et exceptiones a vulgari regula frequenter admissae. „Als in Rom (ita SAVINIUS, l. l. III. 366) „Bindus de Senis das „Römische Recht lehrte, so erlaubte im Jahr 1285 „Honorius IV allen Geistlichen bey ihm zu hören, „nur noch mit Ausnahme der Bischöffe, Aebte und „Mönche. Eine ähnliche Dispensation, ja sogar *wie es „scheint ohne Vorbehalt*, erhielt die Schule zu Bologna „im Jahr 1310, und Erneuerungen derselben 1321 und „1419." Egregie hoc confirmatur testimonio Hieronymi de ZANETINIS, in *Contrarietates inter Ius Civile et Canonicum* (Lugd. S. a.) f. 24 rect.: „Habentes (inquit) „personatum, puta dignitatem vel archidiaconatum ..... „caveant ne audiant *leges civiles vel medicinam*, alias „sunt excommunicati: quod intellige, nisi audirent in

„studio privilegiato, ut in studio Bonon. Nam fertur „quod hic est privilegium perpetuum et etiam in omni „creatione pontificis confirmantur omnia privilegia con„cessa huic civitati."

P. 8. *plures e nostratibus memorantur.* „Rectores „Artistarum fuere anno 1455 Caspar de Amigdola Si„culus, 1456 Nicolaus Schirottus Sacillanus, 1457 „*Remarius de Coepal ex Zelandia*, 1458 Ioannes de „Capua." Facciolati, *Fasti Gymnasii Patavini* (Pat. 1757) II. 85.

„A. 1566 kal. aug. Cum deessent petitores, *Ioanni* „*ab Hoboken* Antverpiensi syndico collata Rectoris po„testas est. Decrevit autem Universitas, ut acta quae„libet in posterum, deficiente Rectore et Prorectore, „Syndici nomine signarentur. Idem porro *Hoboken* ex „kal. nov. Prorector electus est: pridie autem non. ad „tollendas cum Rectore Artium lites de loci praero„gativa, Rectoris titulum et insignia cepit." Ibid. III. 18.

„A. 1652 kal. sext. l. *Petrus Langius*, Gouda „Batavus, Syndicus et Prorector. Iam vacationes prae„ter modum creverant. Itaque illas Magistratus ad tria „tempora, Natalis Domini, Bacchanaliorum et Pascha„coercuit, nec ultra dies denas produci voluit." Ibid. III. 49. Errat facciolatus in textu atque in Indice Rectorum, *Gouda* nomen Rectoris esse putans.

„A. 1657 *Henricus Vandervohort* Amstelodamensis, „Syndicus et Prorector." Ibid. III. 234.

„A. 1659 IV. non. sextil. *Assuerus Iacobus a* „*Bocklandt*, Amstelodamensis, Syndicus et Prorector." Ibid. III. 235. Nomen viri emendavi ex inscriptione

effigiei, cuius exemplum est in collectione viri doctissimi mihique amicissimi Bodel Nyenhuis.

„1569 X kal. Ian. *Iacobus Vischer*, Amstelodamen„sis, Prosyndicus." Ibid. III. 236.

P. 9. *accessisse videtur Magnifici titulus.* Primum in Bononiensi studio hic titulus Rectori tribuitur in novis statutorum additamentis, saeculo decimo quinto exeunte. Vid. VON SAVIGNY, III. 192. Antiquiorem eiusdem usum fuisse in Universitate Vindobonensi existimat KINKIUS, l. l. I. 111. not. 126. „Der Titel „*Magnificus*" inquit „wurde im Mittelalter nur solchen „Personen gegeben, welche den Rang eines Reichsfürsten „hatten; daher sagt die deutsche Urkunde von 20 Dec. „1365 ganz folgerichtig: *der Durchleucht Maister Al„brecht zu den Zeiten obrister Schulmaister.* Man dachte „sich in jener Zeit den Rector, wie den Grossmeister „einer Ritterordens, ein Analogum, welches überhaupt „durchweg stand hält. So wie die Templer oder deut„schen Herren mit dem Schwerte für Gott und Christen„heit kämpften, so die Hohe Schule mit den geistigen „Waffen. Rudolf IV nannte den Rector *Maister* der „grosser Schule. In späteren Zeiten wurde der Titel „*Magnificus* aus Courtoisie auch für den Canzler und „landesfürstlichen Superintendenten angewendet." Sed falli mihi quidem videtur auctor, temporum rationes conturbans. Saeculo enim XIII et XIV ipsi Imperatores ac Reges Magnificentiae titulum non sunt aspernati. Sic Fredericus II Imperator Constitutioni a. 1229 de metallifodinis adscripsit: „sigillo Magnificentiae Nostrae iussimus communiri." Item Iacobus Rex Arragoniae a. 1326 ad Carolum „excellentem et *magnificum* Prin-

cipem" literas dedit, quarum § 8 haec adduntur: „Igitur ad notitiam vestrae *magnificentiae* deducentes praemissa — — — parati prosperis bonis debitis et interna dilectione quibus coniungimur *magnificentiae* vestrae in multis maioribus respondere." LEIBNITZ, *Cod. Iur. Gent.* 121, 122. Quae cum ita sint, non est quod miremur in antiquissimis de Universitatibus ordinandis diplomatibus ac chartulis perpetuo mentionem fieri domini Rectoris, nullo tamen addito honoris titulo. In ipso Viennensis studii tabulario primum, ni fallor, *Magnificus dominus Rector* legitur a. 1516 d. 26 Maii. KINK, II. 30. Cf. Iul. FICKER, *vom Reichsfuerstenstande*. Innsbr. 1861, p. 152.

P. 10. *Alia — ratio in schola Parisiensi.* Antiqua scholae Parisiensis constituendae atque administrandae ratio cognosci potest ex scriptoribus, quos laudat Savinius, l. l. III. 337-338, quibus addi merentur qui ante BREULIUM (1612) scripserunt: Rob. GOULETI *compendium de multiplici Parisiensis Universitatis magnificentia, dignitate et excellentia.* Par. 1517. 4. Petri RAMI *Orationes de Legatione et Prooemium reformandae Parisiensis Academiae*, eius *Praefationibus Epistolis* et *Orationibus* insertae. Petri GALLANDI Oratio *pro schola Parisiensi contra novam Academiam Petri Rami.* Lutet. 1551. 4. Henr. MONANTHOLII Oratio, *quale esse deberet Collegium Professorum regiorum, ut sit perfectum atque absolutum.* Lut. 1595. 8. Theod. MARCILII Orationes IV *de laudibus Academiae Parisiensis.* Par. 1596. 8. Edm. RICHERII *de optimo Academiae statu* l. II. Par. 1603. 8. Breulio, Bulaeo et Creverio a Savinio laudatis nuper accesserunt VALLET DE VIRIVILLE, *Histoire de*

l'Instruction publique en Europe et principalement en France, (Par. 1849. 4.) opus splendide editum et bonae frugis plenum; et Ch. THUROT, *de l'organisation de l'enseignement dans l'Université de Paris au moyen-age*, (Par. et Besançon 1850. 8.) opusculum docte ac laboriose conscriptum. Add. Adr. Cath. HOLTII, viri clarissimi et de Iuris disciplina egregie meriti, nuperrime fato functi, Oratio *de liberalitate maiorum nostrorum, quae Academiis instituendis augendisque cognita est.* T. a. R. 1836. p. 8 sqq.

A Philippo Augusto. Privilegio a. 1200, cuius exemplum authenticum hodie deperditum est. Legitur apud BULAEUM, III. 2. Cf. VON SAVIGNY, l. l. III. 341 sqq. THUROT, l. l. p. 9 sqq., qui laudat anonymum scriptorem opusculi nondum editi, in scrinio MSS. Univ. servati, cui titulus: *Universitatis Parisiensis eiusque facultatum quatuor origo vera adversus fabulas ac fabulatores* (BULAEUM intellige) *vindicata.*

Definivisse atque ordinasse. Scilicet iurisdictio civilis Praeposito non fuit ademta. Vid. VON SAVIGNY, l. l. III. 342 *e*. Minus recte THUROT, l. l.

Una, per quatuor nationes descripta. THUROTIUS hanc in opusculo suo defendit thesin, „que dès 1200 les „nations et les facultés ont existé simultanément et sé„parément comme associations de fait; mais elles ne se „sont constituées que successivement en corporations „publiquement reconnues, et possédant sceau, coffre „commun et droit de se donner des statuts, les nations „vers 1245, les facultés vers 1260." Sed vereor ne male interpretatus sit Innocentii IV bullam Perusinam a. 1252. Contendit quidem SAVINIUS (III. 342) a. 1206 de creando rectore pactum inter nationes qua-

tuor fuisse initum, additque: „das blosse Daseyn des-„selben, das nach alten Verzeichnissen *unzweifelhaft* „ist, beweist für das hohe Alter der Nationeneinthei-„lung." Contra vero monet THUROTIUS, cui viam muniverat CREVERIUS: „Le prétendu concordat de 1206 „entre les nations (BUL. III. 31) était vraisemblablement „l'acte de 1266."

Quatuor nationum collegia.

A. Natio Francica, cuius patroni erant S. Thomas Cantuarensis et S. Guilielmus Bituricensis.

Provinciae:	Dioeceses:
I. Parisiensis.	1. Parisiensis.
	2. Meldensis (Meaux).
	3. Silvanectensis (Senlis).
	4. Carnutensis (Chartres).
II. Senonensis.	1. Senonensis (Sens).
	2. Autisiodorensis (Auxerre).
	3. Tricassensis (Troyes).
	4. Lingonensis (Langres).
	5. Vesontina (Besançon).
	6. Lausonensis (Lausanne).
	7. Centronensis (Tarentaise).
	8. Augustodunensis (Aosta).
	9. Mauriana sive Brennovicensis (St. Jean de Maurienne).
	10. Genevensis.
	11. Basileensis.
	12. Gratianopolitana (Grenoble).
	13. Decensis (Die).
	14. Viennensis (Vienne).
	15. Bellicensis (Bellay).
	16. Lugdunensis (Lyon).

	17. Matisconensis (Macon).
	18. Cabillonensis (Chalons sur Saône).
	19. Augustodunensis (Autun).
	20. Niverna sive Noviodunensis (Nevers).
	21. Aurelianensis (Orleans).
	22. Apamiensis (Pamiers).
III. Remensis.	1. Remensis (Rheims).
	2. Suessionensis (Soissons).
	3. Catalaunica (Chalons sur Marne).
	4. Tulensis (Toul).
	5. Metensis (Metz).
	6. Virodunensis (Verdun).
IV. Turonensis.	1. Turonensis (Tours).
	2. Andegavensis (Angers).
	3. Cenomanensis (Le Mans).
	4. Dolensis (Dol).
	5. Coriosopitana (Quimper).
	6. Nannetensis.
	7. Macloviensis (St. Malo).
	8. Lugdunensis.
V. Bituricensis.	1. Bituricensis (Bourges).
	2. Lemovicensis (Limoges).
	3. Pictaviensis (Poitiers).
	4. Claramontana (Clermont).
	5. Aniciensis (Le Puy).
	6. Vivariensis (Viviers).
	7. Nemausensis (Nismes).
	8. Magalonica (Maguelonne).
	9. Narbonensis.
	10. Blitterensis (Beziers).

11. Mediolanensis Santonum (Saintes).
12. Ucetiensis (Uzès).
13. Lucionensis (Luçon).
14. Tutelensis (Tulle).
15. Genevensis.
16. Valentina.
17. Vintiensis (Vence).
18. Arelatensis (Arles).
19. Tolosana.
20. Burdigalensis.

B. Natio Picardica, cuius patroni erant S. Nicolaus et S. Eligius.

Pars I.
1. Bellovacensis (Beauvais).
2. Ambianensis (Amiens).
3. Noviodunensis (Noyon).
4. Atrebatensis (Arras).
5. Tarvannensis (Térouanne).

Pars II.
1. Cameracensis.
2. Laudunensis (Laon).
3. Tornacensis.
4. Leodiensis.
5. Traiectina. Maiori vero ex parte adnumerabatur Nationi Anglicae. Anno 1356 fines terrarum ad nationem Picardicam et Anglicam pertinentium ab Universitate accuratius circumscripti fuerunt.

C. Natio Anglica, beata Maria Virgine et S. Romano patronis.

Olim:
I. Anglia.
II. Provincia extra Angliam.

Poetea: I. Germania Superior.
II. Germania Inferior.
III. Scotia.

Anno 1333 provinciarum discrimen in hac natione penitus fuit sublatum.

D. Natio Normannica, in provincias non divisa. Patroni erant S. Edmundus, S. Catharina, S. Martinus, Carolus Magnus.

Tertiam nationem in textu Anglo-Germanicam dixi, ut intelligerent auditores humanissimi quam late patuerit vocabuli *Anglica* significatio. Nostrates illi adnumeratos fuisse, plurima probant exempla. THUROTIUS in additamentis ad opusculum saepius laudatum animadvertit, a. 1377 huius Nationis socios cogitasse de nomine in *nationem Alemaniae* commutando, ut Carolo IV eo tempore Parisiis versanti blandirentur: res vero successu caruit. „Les deux dénominations de Nation Anglaise et de Nation d'Allemagne furent longtemps (cum ante a. 1455) employés concurremment et arbitrairement, quelquefois dans la même page du régistre. La dénomination de Nation d'Allemagne prévalut insensiblement dans la seconde moitié du XV[e] siècle. Au reste, à cette époque, la nation comptait moins d'Allemands que de *Hollandais*, de Suédois et d'Ecossais." Cf. et VALLET DE VIRIVILLE, p. 133 sq.

P. 10. *Decanum habebant, Rectorem non habebant.* Cf. VON SAVIGNY, l. l. III. 352. THUROT, l. l. 24, qui causam huius rei quaerit cum in magno suppositorum numero, facultati Artium subiectorum, tum in feliciore eiusdem ordinis conatu, quo a Cancellarii auctoritate citius quam caeteri se prorsus liberare tentavit.

P. 11. *Nec deest exemplum decani* caet. Scilicet Ioannis Tonsoris, a. 1365 Dec. Fac. Decr. Vid. ZARNCKE, *zur Geschichte der Universität Leipzig*, (in *Abhandl. der Königl. Sächs. Gesellschaft der Wissenschaften*, t. III. Lips. 1857) p. 514.

Nisi magister esset regens. Cf. THUROT, l. l. p. 90-92.

Universitas magistrorum et scholarium. Et magistri et scholares vocabantur studentes: hinc REBUFFUS, „verbum," inquit, „*studens* est indifferens ad docendum et audiendum et discendum."

Rector initio creabatur a Procuratoribus quatuor nationum. Sunt qui putent de Rectoris officio sermonem esse in Philippi Augusti privilegio, in verbis: *Capitale Parisiensis studii scholarium.* Sed horum errorem recte refutavit THUROT, l. l. p. 16, ubi haec addit: „Le mot *rector,* sans doute par dérivation de *regere* „*scholas*, est employé pour *régent* dans les actes suivants: „Décret d'Innocent III. 1210 (BUL. III. 60) *rectoribus* „*universis sacrae paginae;* bulle d'Innocent IV. 1244 „(BUL. III. 192). L'anonyme (*Origo vera*, p. 562) cite „ce passage d'une bulle d'Innocent IV. 1246: Nullus „in universitatem vestram magistrorum aut scholarium „aut procuratorem eorum vel *rectorem cuiuscumque facul*„*tatis* aut quemcunque alium — excommunicationis — „sententias audeat promulgare, — *procurator* semble „désigner ici le chef de la corporation et *rector* un pro„fesseur." Similiter in Philippi Bergomatis Chronico Stephanus Langton *Gymnasii Parisiensis* vocatur *decus et rector,* quae verba recte explicat VALLET DE VIRIVILLE, l. l. p. 383. Cf. BULAEI *Histor. Universitat. Parisiensis*, I. p. 257-265.

A Procuratoribus quatuor nationum. Nostratium inter

Rectores ac Procuratores Nationis Anglo-Germanicae (et Picardicae, scil. ex Brabantia oriundorum) haec nomina memorantur, saeculo XV°:

a. 1411. Iacobus de *Haerlem*, Anglicanae Nationis saepius Procurator, d. 23 m. Martii a. 1411 electus Rector Universitatis, successor Guilielmi Rousselii. Plures eius exstant Epistolae Scholasticae, insertae BULAEI *Hist. Univ. Paris.* V. 223 et 883 sqq.

a. 1415. Iacobus de *Gouda*, Rector, omnino distinguendus ab altero eiusdem nominis, qui et Magdalenus Iacobus vocatur.

a. 1418. Iohannes Iohannis sive Zeymeus de *Leydis*. De illo VALLETUS, l. l. p. 362 sequentia refert, notatu digna. „Maître Jean Jean paraît avoir été „de son temps un des suppôts les plus consid鄭„rables de l'Université de Paris. Fréquemment „élu procureur de sa nation, de 1418 à 1427, „il joua au milieu des graves évènements de „cette époque un rôle assez important dans sa „compagnie. En décembre 1427 il fût élu recteur „de l'Université. L'année suivante il commençait „à régenter en médecine (*Comment. reg.* I. f. 294). „Nous le retrouvons encore en 1439, signant „un état des livres de sa Nation (*German.* „VIII. f. 2). Il y eut après lui un autre maître „Jean Jean, dit de Paris, probablement de sa „famille, qui suivit également la carrière médi„cale." Ibidem legimus relationem ex actis hodie servatis petitam „de commotionibus popula„rium villae Parisiensium, in ista procuratoria „factis."

a. 1427. *Ioannes Ioannis* Universitatis Rector creatus.

a. 1431. Guilielmus de *Govea* Batavus, Rector creatus, d. 21 m. Mart.

a. 1449. Tilmannus de *Gouda*, Rector creatus, Baccalaureus in medicina.

a. 1450. Petrus de *Gouda*, Rector electus, d. 23 m. Martii. Perperam BULAEUS: *de Gonda.*

a. 1452. Iacobus de *Bosco*, Picard. Nat. Rector creatus, d. 10 m. Oct. 1452.

a. 1461. Ioannes de *Bosco*, Rector, electus d. 16 m. Dec.

a. 1464. Antonius de *Bosco*, Picard. Nat. Rector d. 23 m. Iun. Cf. Bul. V. 868. In Catalogo VALLETI DE VIRIVILLE perperam vocatur *de Busto.*

a. 1469. Ioannes de *Hollandia*, Nationis Germanicae, Baccal. Theol., Rector electus d. 10 Oct.

a. 1474. Cornelius *Oudendijk* Batavus, Nationis Germanicae pluries Procurator, electus Universitatis Rector d. 16 m. Dec., iterum d. 24 m. Martii 1478. Multas legationes tam suae Nationis, quam Facultatis Artium et Universitatis nomine obiit. Demum regnante Carolo VIII obiit d. 21 m. Iunii 1492, eique à Natione sua honorifice parentatum est tamquam viro de tota Academia meritissimo. BUL. V. 870, qui eum h. l. vocat *Hoddendich*, alibi *Oudendic*, Batavum. VALLETIO dicitur *Houdendich*, alio loco *Oudendick.*

a. 1477. Ioannes de *Leydis*, Dioecesis Traiectensis, Procurator Nationis Germanicae.

a. 1477. Ludolphus Petrus de *Campis*, Dioecesis Traiectensis, Procurator Nationis Germanicae electus, mense Aug. a. 1477.

a. 1478. Henricus de *Groninghen*, Dioecesis Traiectensis, Nationis Germanicae Procurator.

a. 1479. Martinus *Delf*, Natione Teutonicus, Rector Universitatis creatus d. 23 Iunii a. 1479. Deinde Doctor Theologus. Scripsit de Arte Oratoria libellum commodissimum et elegantissimum (Bulaei verba refero), quem maxime probat Gaguinus Epistola, quae exstat Op. l. V. 906.

a. 1480. Ioannes *Morinck* de Boemel ex Ducati Gueldriae, Dioecesis Traiectensis, Procurator Nationis Germanicae.

a. 1480. Simon *Doelman* de Delf, Procurator Nationis Germanicae.

a. 1486. Aegidius *Delf*, Universitatis Rector, electus d. 16 m. Dec. Idem a. 1479 d. 2 Iunii Procurator Nationis Germanicae fuerat creatus. Eius tetrastichon exstat apud BUL. t. V. in Ind.

a. 1488. Cornelius de *Delf*, Dioecesis Traiectensis, Procurator Nationis Germanicae electus d. 16 m. Aug.

a. 1489. Ioannes de *Campis*, Rector Universitatis electus d. 16 m. Dec.

a. 1490. Cornelius de *Haga* Batavus, Procurator Nationis Germanicae, d. 3 m. Iunii.

a. 1491. Carolus de *Gouda*, Universitatis Rector creatus, d. 23 m. Mart. Hunc BULAEUS V. 923 perperam adscribit Nationi Gallicae.

a. 1492. Herbertus de *Weda*, alias de Wilsum, Traiectensis, Procurator Nationis Germanicae d. 22 m. Oct. Quo Procuratore lis exorta est inter Nationes de vice nominationis ad Curiam S. Cosmae.

Postea electores nominari coepti sunt. A. 1280. BULAEUS III. 572 sq., 593 sq., laud. a SAVINIO l. l. p. 352. Causam adfert VALLET DE VIRIVILLE, l. l. p. 124. Modus eligendi in diversis nationibus diversus. „Le recteur „élu par quatre *intrants* que choisissaient les quatre na„tions. Les électeurs du recteur étaient eux-mêmes „nommés par le suffrage à deux degrés dans les nations „de France et de Picardie. THUROT, l. l. 21. In natione Francica una ex quinque provinciis sua vice electores nominabat: in Picardica quaeque dioecesis alterius utrius partis intrantem eligebat, electionisque iure bis gaudebat, qua ratione similiter quinque electores creabantur. In Normannica semper, uti et postea in Anglica natione directis intrantes nominabantur suffragiis. THUROT, l. l. p. 22.

Iurisdictio civilis — Rectori mandata: criminalis olim Episcopali iudicio. Quatenus scilicet non Praeposito aut Episcopali iudicio competebat, ut supra monui. Rector in causis dirimendis Universitatis consilium adhibebat. Exceptiones, quas dictae regulae haud paucas patiebantur, ex actis statutisque non sine magna difficultate eruuntur. Domestica Rectoris disciplina adeo magna, ut eo praesente et adstantibus Procuratoribus interdum flagellati sint studiosi. SAVIGNY, l. l. p. 358.

Mox Parliamento commissa. A Carolo VII a. 1446. BULAEUS, V. 539. Caeterum initio Rector creabatur in unum mensem vel sex hebdomades. In tres menses Recturae spatium a. 1276 auctum fuit, monente Cardinali a Sancta Caecilia. In Universitate Bituricensi diu certatum fuit de systemate Italico prudenter temperando. A. 1542 Parliamentum Parisiense decrevit, quatuor Nationum procuratores cum quinque facultatum mandatariis Rectorem esse creaturos, ita ut mixtum

systema praevaluisse dicendum sit. Effectu vero caruit eiusmodi transactio et a. 1552 Henrici II edicto omnis scholarium auctoritas in eligendo Rectore sublata est. Vid. RAYNAL, *de l'enseignement du droit dans l'ancienne Université de Bourges.* Bit. 1839. p. 28 sq. SAVIGNY, Z. f. gesch. Rw. XI. 217. G. o. R. R. VII. 80 sq. De Universitate *Aurelianensi* cautum fuit Bulla Clementis V, d. 27 m. Ian. a. 1305: — „ut Doctores et Scholares in dicto „Aurelianensi studio nunc et in posterum immorantes, „habeant Universitatem et collegium regendum et guber- „nandum ad modum Universitatis et collegii generalis „studii *Tolosani*, dicti quoque Doctores ius condendi seu „faciendi Constitutiones, Ordinationes et Statuta provida „et rationi consona *super modo eligendi* Rectorem", caet. BUL. IV. 102. — Quod ad Universitatem *Andegavensem* cautum fuit Priv. Caroli Regis, m. Iul. a. 1364, ut ipsa haberet — „quascumque libertates, pri- „vilegia et franchisias concessas ac donatas studio *Aure-* „*lianensi* praedicto ac studentibus in eodem retroactis „temporibus" caet. BUL. IV. 381.

P. 12. *Ab eo appellabatur Universitas.* BULAEUS, III. 595. VI. 526. CREVIER, II. 240—242. VON SAVIGNY, III. 359.

Ab Universitate licet reluctante. Unum afferre liceat exemplum, quo luce clarius appareat, quanto animi ardore Universitatis Parisiensis Rectores muneris dignitatem tuiti sint. Magister Petrus *Bourayne*, a. 1548 summo magistratu functus quid sibi contigerit in solemni Sacro apud Sanctum Dionysium narrat. „Mandaverat „(ita BULAEUS) Rex Universitati ut interesset. Univer- „sitas die 4 m. Ian. (a. 1549) congregata decrevit pa-

„rendum esse literis Regiis; ne vero de dignitate Rec„toria et honore totius Universitatis detraheretur, neve „de ordine in processu certaretur, ut ante factum fue„rat, adeundum Senatum Parisiensem prius rescien„dumque quo ordine procederetur, ne tumultus fieret „in reportatione S. S. Corporum. Die 8 Rector, Deca„nis, Procuratoribus et aliis selectis comitatus, Sanctum „Dionysium adiit, quo cum paulo tardius advenisset, „occupatas sedes a Curiae Senatoribus invenit, suam „tamen, iubente Protopraeside Lizeto, recepit. Indi„gnatus Dignitatem Rectoriam sic deprimi, per quatuor „nationum procuratores significavit primo Praesidi se „discessurum et Regi iniuriam denunciaturum, nisi „(quod iustum erat) curaret sedem debitam Dignitati „Rectoriae alioquin ab aliis occupatam reddi. Quod „negotium sollicite elaboravit dictus Praeses, aliis per „suos apparitores significans descendendum esse et D. „Rectori loco cedendum; quod cum renuissent bis et „ter, minatus est se eodem temporis puncto Maiestatem „Regiam aditurum et inobedientiam delaturum; qui „reformidantes alia verba genua flexerunt, et sic dictus „Rector debitam cathedram ascendit." BULAEUS, VI. 429.

P. 13. *Nova disciplinarum seminaria.* Cf. ZARNCKE, *Die deutsche Universitäten im Mittelalter.* Lpz. 1857. 8. Praecipuorum Catalogum exhibere iuvat, additis, quoad eius fieri potuit, natalibus singularum Academiarum annis, adiectisque, primorum Rectorum nominibus, cum indice scriptorum ad historiam Recturae illustrandam pertinentium.

a. 1210. *Oxoniae.* Singulis Collegiis suus Rector, Principalis, Praeses. Universitati praefecti Cancellarius, Vicecancellarius, Procuratores. Cf. Ant.

WOOD, *Athenae Oxonienses*. Lond. 1691. f. eiusdemque *Historia et Antiquitates* huius celeberrimae scholae. (AKERMAN), *History of the University of Oxford*. Lond. 1815. 4.

a. 1233. *Tolosae*, auctore Gregorio IX Pont. Max. Cf. BUL. III. 149.

a. 1257. *Cantabrigiae*. Catalogum Rectorum ac Cancellarium ab a. 1289 usque ad a. 1603 exhibet liber: *The History and Antiquities of the University of Cambridge*. Lond. 1721. 8.

a. 1289. *Montispessulani*. Hoc anno Nicolai IV Bulla confirmatum fuit studium generale in hac urbe. Cf. VON SAVIGNY, l. l. III. 375-380. De Rectore idem, l. l. p. 387.

a. 1305. *Aureliae*. Doctoribus et scholaribus concessum, ut habeant universitatem et collegium regendum et gubernandum ad modum Universitatis et collegii generalis studii Tolosani. Cf. Franc. LE MAIRE, *Histoire de la ville et duché d'Orleans*. Orl. 1648. fol. I. 332 sq. Post eum Symphorianus GUYON huius Universitatis fata descripsit in Commentatione adiecta operi: *Histoire de l'Église et de la ville d'Orleans*. Aurel. 1650. f. Vid. BULAEUS, VI. 58. Ioh. Eug. BIMBINET, *Histoire de l'Université des Lois d'Orleans*. Par. 1853, p. 214. Prima constitutio a. 1307: „Statutum *de rectore eligendo*, et procuratoribus nationis et librariis, bedellis et de briga inter scolares." Vid. BIMBINET, l. l. p. 195 sqq. Numerus nationum, initio decem, post a. 1538, ad quatuor reductus. Edicto a. 1512 multa in re scholastica immutata. „A partir de ce

„moment (ita BIMBINETUS, l. l. p. 286) l'Uni-
„versité fut reduite au corps des docteurs, les „écoliers furent depouillés du titre de membre „du corps universitaire et les docteurs seuls „prirent part à l'élection du recteur; et encore „cette élection ne fut-elle valable qu'avec le „concours des officiers du pouvoir royal, *conser-*
„*vateurs* des privilèges de l'institution, du maire, „des échevins de la ville. Il est vrai qu'aux termes „de l'arrêt du parlement de 1538, les écoliers „furent réintégrés dans ses droits, mais par déléga-
„tion et par leurs mandataires, les procurateurs."

a. 1332. *Divonae* sive *Cadurci.*

a. 1339. *Gratianopoli.* Hoc anno d. 25 Iul. privilegiis munita fuit schola, quae iam diu in hac urbe efflorescere coeperat, auctore Humberto II. Cf. BERRIAT-SAINT-PRIX, *Notice historique sur l'ancienne Université de Grenoble*, in *Mémoires de la Société Royale des Antiquaires de France.* III. 391 sqq. D. 13 m. Maii a. 1340 cautum, ut inspectio penes Rectorem dicti studii remaneat. A. 1452 a Ludovico XI Academia Valentiam fuit translata. Italicam Rectoris creandi rationem hic olim obtinuisse, satis apparet ex CUIACII Orationibus, quae exstant in *Operib.* t. IV. p. II. ed. Par. t. VIII. ed. Neap. Binas hasce orationes summi ICti, in ipsa lectione ordinaria die electionem proxime insequenti habitas, quibus saeculi ingenium mirifice declaratur, ad harum adnotationum calcem typis repetendas esse duxi.

a. 1348. *Pragae.* Eam a. 1360 a Carolo IV Imperatore Germaniae et Rege Bohemiae esse conditam,

minus accurate scripsit SAXIUS in *Onomast. Lit.* II. 378. Primus de quo constat Vicerector, a. 1367: M. *Henricus de Nanexen*. Cf. M. M., über die ältesten Rectoren der Prager Universität, in *Boehm. Mus. Iahrb.* II. 60 sqq. W. W. TOMEK, Reihe der Rectoren an der Prager Universität (1362—1848), in eius *Geschichte der Prager Universität*. Prag 1849. p. 354—367.

a. 1364. *Andegavi*. Ab aliis a. 1348 adsignatur. Clara ICtis magni nominis.

a. 1365. *Arausiae*. Saeculo decimo septimo ineunte studiosi ibi nulli: unde iocus ibi, Rectorem cum scriba et pedello academicum corpus repraesentare iuxta illud: *Tres faciunt collegium*. GOLNITZII *Itinerarium Belgico-Gallicum*, p. 468.

a. 1365. *Vindobonae*. Primus huic Universitati praefuisse dicitur M. *Albertus de Saxonia*. In serie tamen, quam dedit Georg. EDER, legimus, a. 1377 eligi et scribi coepisse Rectores, primumque fuisse *Ioannem de Randegg* Constantiensem et Augustensis Eccles. Canonicum. Vid. *Catalogus Rectorum et illustrium virorum Archigymnasii Viennensis* (1237—1559). Vienn. 1559. 4. Ed. 2. cum auctario Rectorum ab a. 1559 usque ad a. 1644 (auctore Iona LITTERS pedello). Viennae 1645. 4. Ed. 3. cum Historia Rectorum ad a. 1670, stud. P. DE SORBAITH. Vienn. 1670. 4. *Calendarium Academicum seu Continuatio Historiae Rectorum*. Vienn. 1693. 4. Praeterea Rectorum seriem continet J. J. LOCHERI *Speculum Academicum Viennense*. Vienn. 1773. Tandem exstat Catalogus Rectorum ab a. 1365 —

a. 1500 in Ant. STEYRERI, *Comment. pro Hist. Alberti II.* Lips. 1725. p. 453—487, qui liber accuratae doctrinae fructus laudatur a KINKIO in opere: *Geschichte der Kaiserlichen Universität zu Wien.* Vienn. 1854. I. XVIII. Primo Academiae saeculo floruit in hac Universitate Lambertus de *Gelria*, Theologiae Professor, qui quater ipsi praefuit, et a. 1419 Rector obiit.

a. 1384. Controversiis in Francia inter Universitatum et Summi Imperantis ministros ortis, cogitatum esse videtur de transferendo studio generali *Francofurtum ad Moenum.* Cf. KRIEGK, in *Mittheilungen des Vereins für Geschichte und Alterthumskunde in Frankfurt am Main* (Francof. 1860) I. 322. Res vero effectu caruit.

a. 1386. *Heidelbergae.* Primus Rector *Marsilius ab Inghen.* Successores usque ad a. 1624 enumerantur in TOLLNERI *Historia Palatina.* Frf. a. M. 1700 f., in Cod. Diplom. p. 123—132. Multis vero vitiis scatet iste Catalogus, quem innumeris in locis emendavit Carolus BUTTINGHAUSEN, in variis libris ad historiam Palatinam et Academiae Heidelbergensis editis: separatum vero opusculum de Rectoribus huius scholae, quod publici iuris facere in votis habuit, lucem non adspexit. Vid. F. P. WUND, *Beiträge zu der Geschichte der Heidelberger Universität.* Mannh. 1786. p. 69 sqq. Syllabum Rectorum Heidelbergensium a. 1786 edidit SCHWAB, laudatum ab ULLMANNO in *Memoria Ioannis Dalburgii Camerarii Wormatiensis* (Heidelb. 1840): ipsum tamen inspicere mihi non contigit.

a. 1387. *Culmae*, quae brevi interiit. Cf. Raym. DUELLII, *Hist. Ord. Eq. Teuton.* I. 35.

a. 1388. *Coloniae*. Primus Rector *Hertlinus de Marca*. De huius Universitatis regimine multa contulit VON BIANCO in opere: *Die alte Universität Köln* (Colon. 1855. 8), inchoato necdum absoluto. Haec vero Universitas numquam per nationes fuit descripta neque Artistarum Facultati praerogativae fuerunt concessae, licet caeteroquin ad Parisiensis scholae normam fere constituta fuerit. Discriminis causa haec fuisse videtur quod Heidelbergensis Academiae conditae exemplum difficultates ostenderat, quibus utrumque institutum obnoxium esset. Cf. ZARNCKE, l. l. p. 887.

a. 1392. *Erfordiae*. Eorum qui magistratum gesserunt nomina chronologico ordine recensuit Barth. LOENEYSEN, in *Serie Magnificorum Academiae Erfurti Rectorum*, continua successione ab a. 1392 ad a. 1614 fasces Academicas gerentium. Erf. 1614. 4. Item G. C. PETRUS AB HARTENFELS, in *Progr. quo Iubilaeum Academiae tertium indicit*. Erf. 1692 f. Aegre carui MOTSCHMANNI *Erfordia literata*, opere a. 1729—1748 tribus voluminibus edito. Prima Academiae statuta typis repetivit cl. VISCHER, in libro mox laudando, p. 311 sqq. Descriptio civium per nationes prorsus incógnita. Vid. ZARNCKE, l.l. p. 517.

a. 1400. *Cracoviae*, cuius antiquissimum privilegium iam concessum fuit a. 1364, „cum iuribus, quae „in studiis generalibus, videlicet *Bononiensi* et „*Paduano* tenentur et observantur." ARNOLDT, in libro mox laudando, I. B. 77—96.

a. 1408. *Lipsiae.* Primus Rector (a. 1409) *Ioannes de Mönsterberg*, e natione Polonorum. Cf. WIMPINA, l. l. nº. 1. Successores per tria saecula enumeravit A. Q. RIVINUS, *Rectores Academiae Lipsiensis* ab a. 1409-1709. Lips. 1709. f. Idem Syllabus invenitur in Disputatione Chr. HUEBNERI, *Fridericus bellicosus Acad. Lips. fundator*, Hal. 1709, p. 50 sqq. Accuratissimum vero eorundem indicem usque ad a. 1559, addita unicuique nomini nationis mentione, exhibuit ZARNCKE, l. l. 583-600. Splendidum nuperrime idem edidit volumen, quo continentur *Acta Rectorum Universitatis studii Lipsiensis inde ab a.* 1524 *usque ad a.* 1559. Lips. 1860. 4.

a. 1409. *Aquis* in Provincia.

a. 1418. *Rostochii.* SAXIUS (l. l. II. 406) anno natali eam adsignat 1419, auctoribus Iohanne et Alberto, ducibus Megalopolitanis. D. 12 m. Novembris inauguratio secuta est. Primus Academiae Rector M. *Petrus Stembeke.* Vid. O. KRABBE, *Die Universität Rostock im funfzehnten und sechszehnten Jahrhundert.* Rost. 1854. t. I. p. 471, ubi plura de Rectoris officio p. 79 sq. De varia eius fortuna, collegiis, *rectoribus* et professoribus scripsit Petrus LINDENBERGIUS, in *Chronico Rostochiensi*, Rost. 1596. 4. V. 7-11. Cf. et Ioh. Bernh. LINDENBERGII *Fasti Rectorales Laciburgici.* Rost. 1668. f. et Sebast. BACMEISTERI *Megapoleos litteratae prodromus*, in quo agitur de *Rectoribus* Academiae Rostochiensis, editus in WESTPHALENI *Monument. Germ.* III. 1005 sqq. Add. I. Chr. WOLF, *Sched.*

hist. lit. de Rectoribus Academiae Rostochiensis magnificentissimis atque illustribus. Rost. 1724. 4.

a. 1423. *Dolae*, a. 1691 cum Academia Vesontina coniuncta.

a. 1426. *Lovanii.* Condita auctore Iohanne IV Brabantiae duce. Primus Rector *Guilielmus Nepotis*, Ecclesiae D. Petri Scholasticus, in quinquennium electus. Cf. Andr. VALERII *Fasti Academici studii generalis Lovaniensis, in quibus — — series Rectorum*, etc. Lov. 1635. 4, p. 28. Nic. VERNULAEI *Academia Lovaniensis.* Lov. 1627. 4. cap. VI: Rector Academiae, p. 24-35. DE RAM, *Analectes pour servir à l'Histoire de l'Université de Louvain.* Louv. 1858. 21 pt. 8.

a. 1431. *Pictavii.* Academia auctore Carolo VII condita. Cf. FILLEAU, *Traité de l'Université de Poitiers.* Pict. 1644. f. DREUX DE RADIER, *Bibliothèque du Poitou*, I. 387 sqq.

a. 1437. *Cadomi.* Bulla Eugenii IV et Privilegium Caroli VII a. 1450 exstant apud BULAEUM, V. 846. Cf. VI. 912 sq.

a. 1456. *Gryphiswaldae.* Primus Rector *Henningius Rubenow.* Cf. Henr. WENDLANDI *Catal. Procancellariorum, Rectorum* etc. Acad. Gryphiswaldensis. Gryph. 1655. 4. I. G. L. KOSEGARTEN, *Geschichte der Universität Greifswald.* Mit Urkundl. Beilagen. Gryph. 1856-1857. 2 vol. 4.

a. 1457. *Friburgi.* Primus Rector *Matthaeus Hummel Im Bach.* Cf. Henr. SCHREIBERI liber utilissimus: *Geschichte der Albert-Ludwigs-Universität zu Freiburg im Breisgau.* Freib. 1857, I. 15-29, eiusdemque Programma: *Matthaeus Hummel*

Im Bach, Bevollmächtigter zur Stiftung der Universität und erster Rector derselben. Freib. 1833. 4. Recensio Rectorum Acad. Albertinae in *Amoenit. Literar. Friburgensibus*. Frib. 1779. 8.

a. 1460. *Basileae*. Primus Rector *Georgius de Andlo*, ecclesiae Basiliensis praepositus. Vid. Catalogus Rectorum Academiae Basiliensis (1460-1778) in (Io. HERZOGII) *Athen. Rauric*. Basil. 1778. p. 459 sq.

a. 1463. *Nannetibus*. Cf. BUL. V. 661.

a. 1465. *Biturici*. Anno 1469 ipsam adscribit VALLET DE VIRIVILLE, l. l. Vid. BUL. V. 674. Rectorum rarissimus exstat Catalogus, de quo vid. VON SAVIGNY, l. l. III. 408.

a. 1470. *Burdigalae*. Nonnulli hanc Academiam anno 1441 adsignant.

a. 1472. *Ingolstadii*. Cf. Valent. ROTMARI *Annales Ingolstadiensis Academiae*, — — — in duas divisi partes, quarum II[a] *Rectorum seriem* etc. complectitur. Ingolst. 1580. 4. Hoc opus continuaverunt Ioh. ENGERDUS et I. N. MEDERER, in edit. Ingolst. 1782. 4 vol. 4. De Rectoris creandi ratione haec scribit MIDDENDORPIUS: „Secundum primam institutionem tota schola „in quatuor nationes divisa fuit. Prima fuit „Bavarica, secunda Rhenensis, tertia Franco-„nica, quarta Saxonica. Quaelibet harum natio-„num suum proprium habebat Procuratorem cum „potestate singulis semestribus Rectorem eligendi. „Haec ex scholis Italiae ac Galliae profecta na-„tionum ac procuratorum distinctio, nobis in „Germania minus apta, statim abolita, ac in

„Senatum Academicum tam Rectoris eligendi, „quam omnis reliqua potestas reiecta est."

a. 1472. *Treveris*. Cf. Iac. MEELBAUM, *Sylva Academica*. Trev. 1657. 8. Restaurata fuit a. 1535 et 1722.

a. 1477. *Moguntiae*. Ita SERARIUS in *Moguntiac. Rer.* l. I. c. 34; alii ipsam anno 1441 adsignant, SAXIUS anno 1482. *Onomast. Lit.* II. 488. Reformata fuit a. 1746. Cf. F. A. DÜRRII *Historia Universitatis Moguntinae*. Mog. 1784. 4.

a. 1477. *Tubingae*. Primus Rector Iohannes *Nauclerus* (Vergenhans). „Wir finden hier in manchen Be„ziehungen eine *Nachbildung der Pariser Uni„versität*, welche für die meisten deutschen „Universitäten als Muster galt [1]). Gleich dieser „war auch die Tübinger Universität eine uni„versitas nicht sowohl litterarum, als eine Ge„nossenschaft zum Behuf des gemeinsamen Stu„diums, eine universitas studii generalis. Sie „sollte unum corpus bilden, dessen Glieder die „einzelnen Fakultäten sind, welche wieder in „sich geschlossene Corporationen ausmachen. „Von einer Eintheilung in Nationen neben der „Fakultäten, wie wir sie bei der Pariser Uni„versität finden, konnte hier, wo die meisten „Studierenden Leute aus nächster Nähe waren, „nicht die Rede sein. Das Regiment war wie „in Paris ausschliesslich in Händen der Lehrer. „Den Scholaren, die auf den italienischen Uni-

[1]) Secus GROHMANNUS: „Pollich bildete die Wittenbergische Akademie „nach der Tübinger, und diese war *nach der Bononischen* eingerichtet „worden." *Annalen der Universität zu Wittenberg* (Meiss. 1801) 1. 8.

„versitäten in Besitz der Gewalt waren, kam „hier wie auf den übrigen deutschen Universi„täten gar kein Antheil an der Vertretung der „Universität zu. Die Professoren, oder die „Magistri und Doctores, welche zum Lesen „berechtet und verpflichtet waren, hiessen docto„res regentes. Aus ihrer Mitte wird als Haupt „der gesammten Corporation alljährlich an Phi„lippi und Jakobi der Rector gewählt." K. KLÜPFEL, *Geschichte und Beschreibung der Universität Tübingen.* Tüb. 1849, p. 5 sq. Rectorum seriem per duo priora Academiae saecula digestam sistit liber: *Eberhardinum altero Iubilaeo felix.* Tub. 1682. f. p. 221 sqq.

a. 1479. *Hafniae* a. 1539 renovata. Seriem Rectorum curavit Erasmus VINDINGIUS, in eximio opere: *Academia Hafniensis*, in Regibus, Conservatoribus, *Rectoribus* et Professoribus suis repraesentata. Hafn. 1665. 4. Adde indicem Cancellariorum, *Rectorum* et Professorum (1479—1619) quam legimus in Ioh. Is. PONTANI Chorographica Daniae descriptione, *Histor. Rer. Danic.* p. IV. p. 768—792. Amplificavit illam usque ad a. 1650 Io. SVANINGIUS in *Chronol. Danic.* Hafn. 1650. f.

a. 1502. *Wittebergae.* Primus Rector ac Vicecancellarius *Martinus Pollichius* Mellerstadius. Vid. F. BOERNERI Comment. *de vita et meritis Martini Pollichii Mellerstadii*, primi in Acad. Witteb. Rectoris Magnifici. Guelf. 1751. 4. Primam Rectorum seriem inveni in Andreae SENNERTI opusculo: *Athenae itemque Inscriptiones Wittebergenses.* Witteb. 1655. 4, p. 56—80.

Eodem anno plenior prodiit Universitatis Historia in opere Godofr. SUEVI: *Academia Wittebergensis*, continens privilegium Imperatoris, bullam Papalem, *nomina Rectorum* et Professorum, caet. Witteb. 1655. 4. In Maximiliani privilegio data et concessa „Doctoribus „et Scholaribus in dicta Universitate exi„stentibus aut futuris cum consensu Ducis aut „successorum suorum, auctoritas et potestas „condendi et faciendi Statuta et Ordinationes, „iuxta consuetudinem ceterarum Universitatum, „nec non creandi et *eligendi Rectorem scolarium*, „prout ipsis visum fuerit expedire et esse „opportunum." Praeterea ornatur Universitas iisdem privilegiis, „quibus Universitas Bono„niensis, Senensis, Patavina, Papiensis, Peru„sina, Parisiensis et Lipsiensis, et alia studia „privilegiata gaudent."

a. 1506. *Francofurti ad Viadrum.* Primus Rector *Conradus Wimpina*. Cf. BECMANNI *Notitia Universitatis Francofurtanae*. Frf. 1706. f., ubi et Conr. WIMPINAE legitur *Universitatis studii Francofurtani ad Oderam Invulgatio*. Vid. eiusdem *Scriptorum insignium Centuria*, quondam ab I. I. Madero edita, ex Mspto autographo emendata a I. F. L. Th. Merzdorf. Lips. 1839, p. 72 n⁰. 75.

a. 1527. *Marpurgi.* Primus Rector *Ioannes Ferrarius Montanus* (Eisermann). Vid. infra.

a. 1530. *Lausanae.*

a. 1540. *Upsaliae.* Vid. *Fasti Rectorum Regiae Academiae Upsaliensis a.* 1572—1838. Quibus rect. acad. mutat. indicit I. H. SCHRÖDER. Ups. 1838. f.

a. 1544. *Regiomonti.* Primus Rector *Georgius Sabinus.* Vid. infra.

a. 1548. *Remis.* Die demum 6 m. Sept. a. 1553 literae patentes, quibus Rex hanc Universitatem iisdem Privilegiis gaudere voluit, quae Parisiensi fuerant concessa, actis curiae insertae sunt. BUL. VI. 461.

a. 1554. *Dillingae*, ab Othone Truchsessio, Episcopo Augustano condita.

a. 1558. *Ienae.* Primus Rector *Iohannes Schroeterus.* Inter eius successores in munere multi numerantur Principes Illustrissimi. Vid. A. BEIERI *Ienensis Academiae Rectores*, anno, ordine, nomine, depicti et descripti (1558—1630). Ien. 1631. 12. Eiusd. *Syllabus Rect rum* etc. Ienae in studio generali. Ed. 2. Ien. 1659. 12. Add. I. GÜNTHER, *Lebensskizzen der Professoren der Universität Iena.* 1558—1558. Ien. 1858. 8.

a. 1559. *Genevae.* Primus Rector *Theodorus Beza.* Antiquior schola, a. 1368 a Carolo IV condita, hoc anno in novam Academiam reformata. Cf. Leges Academiae Genevensis. Genev. 1559, in Prologo. Add. CELLERIER, *l'Académie de Genève.* Par. 1856. 8.

a. 1567. *Argentorati.* Primus Rector Iohannes *Sturmius.* Academia a. 1621 in Universitatem studiorum a Frederico (Ferdinando?) II conversa, quae plenis iuribus, quibus ulla umquam Germaniae Universitas gavisa est, frueretur, teste SCHOEPFLINO, in *Alsatia Illustrata*, II. 344.

a. 1572. *Duaci*, auctore Viglio condita. Cf. MIRAEI *Diplom. Belg.* I. 238.

a. 1572. *Mussiponti.*

a. 1575. *Lugduni-Batavorum.* Primus Rector *Petreius Tiara.* Vid. infra.

a. 1576. *Helmstadii.* Conditae Academiae Procancellarius (Rectore ipso Ducis filio Henrico Iulio) clarissimus Ictus *Ioachimus Mynsinger a Fründeck*, de cuius meritis nuper eleganti sermone dixit SCHREIBERUS Friburgensis in libro singulari. Add. Fr. Car. VON STROMBECK, *Feier des Gedächtnisses der vormaligen Hochschule Iulia Carolina zu Helmstedt.* Helmst. 1822. 4. Hoc tamen in libro Prorectorum seriem frustra quaesivi. Primus Prorector *Timotheus Kirchnerus*, Theol. Doct. et Prof. Vid. Ioach. HILDEBRANDI Orat. de fundatione Academiae Iuliae, addita Georgii Goth. KEUFFELII *Historiae originis ac progressus Scholarum inter Christianos.* Helmst. 1743. 8.

a. 1576. *Altorfii.* Primus Rector *Ioh. Th. Freigius.* Cf. *Ioh. Thom. Freigii Rectoratus.* Norib. 1577. 4, quo opusculo Phil. Camerarii et ipsius Freigii continentur Orationes. Successorum syllabum exhibent Chr. Theoph. SCHWARZII *Act. Sacr. Saecul. Acad. Altorfinae.* Alt. 1723. f.

a. 1582. *Herbipoli.* Primus Rector *Iulius* Academiae conditor; Vicerectoris munere fungebatur *Michael Suppanus*, Philosophiae Doctor, Vicarius Generalis. Elencho Rectorum caret Christiani BÖNICKE liber: *Grundriss einer Geschichte von der Universität zu Wirzburg.* Wirzb. 1782—1788. 2 vol. 4, qui de ratione creandi Rectoris dixit, t. I. p. 50 sq.

a. 1585. *Herbornae*, a. 1654 renovata et amplificata.

a. 1586. *Graeciae.* Vid. A. VON MUCHAR, die Gründung der Universität zu Grätz, in *Steiermärkische Zeitschrift*, Neue Folge, I. 2. 27 sq. I. G. SEIDL, *Feierlichkeiten, welche bei der Eröffnung der Gräzer Hochschule stadt fanden.* Ibid. V. 2. 168 sqq. Errant plurimi, eam anno 1576 adscribentes.

a. 1586. *Franequerae.* Primus Rector *Martinus Lydius.* Cf. Fasti Rectorales, cum variis Orationibus Inauguralibus et Valedictoriis, (1586—1745), in (E. L. VRIEMOETII) *Serie Professorum et Lectorum Academiae Frisiacae.* Franeq. 1745. p. 100—109. Repetiti et continuati sunt usque ad a. 1757 in eiusdem auctoris *Athenis Frisiacis*, p. 903—917.

a. 1592. *Paderbornae.* „Ipsam Universitatem ac stu„dium generale curae, regimini et administra„tioni Societatis Iesu et illius Praepositi Ge„neralis seu ab eo deputandi, qui totius Uni„versitatis *Rector* existat, perpetuo supponimus „et submittimus." Bull. Pontif. Max. ap. Chr. Theod. a Plettenberg, Panegyric. Acad. Theodorianae Paderbornensis, adiect. FUERSTENBERGII *Monument. Paderbornens.* Amst. 1672. 4.

a. 1607. *Gissae*, a. 1650 restaurata. Primus Prorector *Gothofredus Antonius.* Cf. C. DENSTADII *Mnemosynum Academicum*, sive nomina *Rectorum* etc. Giss. 1694. 4.

a. 1614. *Groningae.* Primus Rector *Ubbo Emmius.* Catalogum Rectorum (1614—1653) exhibet liber (DEUSINGII, HENNINII an SCHOOCKII?): *Effigies et Vitae Professorum Academiae Groningae et Omlandiae.* Gron. 1654. f. in fine.

a. 1619. *Stadthagae.* Transiit elapso biennio Academia in urbem Rintelium. Historiam Scholae Stadthagensis descripsit Eberh. Dav. HAUBER, in *Primitiis Schauenburgensibus.* Guelf. 1728. 8. p. 233—296.

a. 1621. *Rintelii.* Primus Rector *Ioannes Eichrodius.* Rarissimum exstat opusculum clari olim in Nostra Academia Antecessoris Friderici Guilielmi PESTELII, sistens *Comment. ad Tabulas immunitatum Academicarum, quas a Friderico V comite Palatino Rheni Ernestus Princeps et Comes Schaumburgicus* a. 1619 *obtinuit.* Rint. 1752. 8.

a. 1622. *Salisburgi.* Huius Universitatis fata exposuit Romanus SEDELMEYR in libro sine auctoris nomine edito: *Historia almae et archiepiscopalis Universitatis Salisburgensis sub cura PP. Benedictinorum.* Bonndorffi 1728. 4.

a. 1623. *Sorae*, cui primum praefectus *Iustinus Hoëgh.* Cf. THURA, l. l. p. 110 sqq.

a. 1630. *Osnabrugae.* Ioh. Cph. KOECHERI Historiam huius Academiae suae *Bibliothecae hist. Academ.* inseruit HEUMANNUS (Goett. 1739. 4.) p. 125—142. Privilegio munita „iisdem gratiis et indultis, quibus Parisiensis, Bononiensis, Lovaniensis, Coloniensis, Heidelbergensis."

a. 1631. *Monasterii.* Diploma Ferdinandi II Imperatoris exstat apud NUNNINGH et COHAUSEN, *Commerc. Litterar.* II. init. Ibi legimus cautum, „ut praememorata dilectio sua (Ferdinandus Episcopus) eiusque in Episcopatu Monasterensis successores perpetuis temporibus sint ac ma-

„neant huius generalis studii Rector et Cancel-„larius, qui muneris tamen Cancellariatus vi-„ces non alii quam alicui ex maioris Ecclesiae „Praelatis mandare et committere possint, *Vi-„cerectorem* aut ad semestre sive annuum tem-„pus ex praedictis quatuor facultatibus Theo-„logiae, Iurisprudentiae, Medicinae et Philoso-„phiae secundum ordinem dignitatis et in orbem „redeundo eum, qui magis conveniens et aptus „videbitur, modo constitui faciant."

a. 1632. *Dorpati.* Auctor Gustavus Adolphus Rex Sueciae. Primus Rector *Iacobus Skytte*, Prorector D. *Virginius.* A. 1699 Carolus XII eam transtulit Pernavium. A. 1799 d. 4 m. Maii nova Academia, iubente Paulo I Imperatore, condita fuit: fundata vero ab Alexandro I d. 12/24 m. Dec. a. 1802. Primus Prorector a. 1802 *Ludovicus Ewers* ICtus; primus Rector a. 1803 *Balkius*, Med. Prof. Cf. omnino Fred. KRUSE, in Encyclopaedia Universali, B. XXIX. (1852). in v. *Jurjew Livonsky*. Add. *Album Academicum der Universität Dorpat*. Dorp. 1855. 8.

a. 1635. *Tyrnaviae*, inde ab a. 1777 Pesthini.

a. 1636. *Traiecti ad Rhenum.* Primus Rector *Bernardus Schotanus.* Successorum series usque ad a. 1728 invenitur in Iohannis van de WATERI *Groot Placaatboek van Utrecht*, t. III. p. 494 sq. Aliam usque ad a. 1736 Orationi Saeculari adiunxit cl. DRAKENBORCH: tertiam Rectores complectentem ab a. 1736 usque ad a. 1786 Sebaldus RAVIUS, vir. clar., addidit Orationi panegyricae *in natalem centesimum et quinqua-*

gesimum Acad. Trajectinae. T. a. R. 1786. 4. Repetita haec est in opusculo ven. C. DE VRIES, *Naauwkeurige beschrijving en verhaal van alle plegtigheden enz. ter gelegenheid van de honderdvijftigste verjaring der Utrechtsche Hogeschole.* Utr. 1786. 8. Bijv. p. XI. sq. Praeterea Rectores enumerantur (1636—1777) in opere: *Academische Uitspanningen.* Utr. (1777). p. 231 sqq.

a. 1640. *Aboae.* A Christina Regina condita, a. 1827. Helsingforsiam translata.

a. 1648. *Bambergae.*

a. 1648. *Harderovici.* Primus Rector *Iohannes Christenius.* Vid. cl. H. BOUMAN, *Geschiedenis der Geldersche Hoogeschool.* Utr. 1844. I. 138 sqq. *Series Rectorum Magnificorum* addita est Ioh. DE GORTER Orationi *in centesimum natalem seu annum Iubilaeum Academiae Duc. Gelriae et Com. Zutph.* Amst. 1748, p. 47.

a. 1655. *Duisburgi.* Primus Rector *Iohannes Claubergius.* Vid. Mart. HUND, Orat. *in obit. I. Claubergii.* Duisb. 1665. 4. Syllabum Rectorum Magnificorum (1655—1755) exhibet Io. Hild. WITHOFF, in *Act. Sacror. Saecul. Academiae Duisburgensis.* (Duisb. ad Rh. 1756) p. 120.

a. 1665. *Kiloniae.* Primus Prorector *Petrus Musaeus.* Vid. MOLLERI *Cimbr. Lit.* II. 566. *Chronik der Universität Kiel* (Kil. 1855. 4.) p. 7. sqq.

a. 1668. *Londini Scaniae.* Primus Rector *Petrus Winstrupius.*

a. 1677. *Oeniponti.* Perperam nonnulli hancce Academiam anno 1672 adsignant. Diploma a Leo-

poldo datum fuit d. 26 m. April. a. 1677. Primus Viceccancellarius Dominic. Ord. Soc. *von Wilten.*

a. 1694. *Halis.* Primus Prorector *Ioannes Guilielmus Bayer.* In Leopoldi Imperatoris privilegio legimus, Principem concessisse Universitati facultatem, ut „statuta condere, ordinationes „facere, nec non *Prorectorem* et Procancella„rium (quippe a libero Principis Electoris, „uti fundatoris eiusque successorum arbitrio „et beneplacito dependere volumus, ut sibi „Ipsismet dignitatem *Rectoris* et Concellarii „reservent, aut si et quoties voluerint, Uni„versitati liberam et aliis Universitatibus con„suetam eligendi *Rectores* et Cancellarios fa„cultatem largiantur) creare et facere possint „ac valeant." Pauca praebet J. C. HOFFBAUER, *Geschichte der Universität zu Halle* bis zum Jahre 1805. 8. p. 48. — Nihil fere de Prorectoris munere invenitur in huius operis continuatione, quam edidit Ioh. Car. BULLMANN, sub titulo: *Denkwürdige Zeitperioden der Universität zu Halle.* Hal. 1833. 8.

„Die Universität zu Halle war die Erste, „oder Eine der ersten, deren Statuten die „Ordnung der Facultäten, aus welchen Recto„ren genommen werden sollten, ausdrücklich „festsetzten, und zugleich die Folge, in wel„cher die Mitglieder einer jeden Facultät Rec„toren werden konnten, zwar nicht ausdrück„lich, aber doch auf eine nicht leicht zu ver„kennende Art andeuteten." Ita MEINERS, l. l.

II. 174, quem tamen Universitatum in patria nostra statuta moresque minus accurate inquisivisse ex ipsis hisce verbis constat.

a. 1702. *Vratislaviae*, a Leopoldo Caesare condita, deinceps cum Francofurtana coniuncta, vel potius renovata et amplificata.

a. 1722. *Pali* (*Pau*).

a. 1734. *Fuldae*, auctore Adolpho Dalbergensi, Abbate et Principe Fuldensi.

a. 1734. *Goettingae*. Primum programma Academicum edidit *Georgius Christianus Gebauer* ICtus ad ea obeunda, quae prorectoris sunt in Academia Gottingensi delegatus commissarius. Vid. Ioh. Frid. Lud. GOESCHEN, *Vita Georg. Chr. Gebaueri*. Goett. 1837. 4. De Prorectoris munere brevius quam par est disseruit PUETTERUS in opere: *Versuch einer academischen Gelehrten-Geschichte von der Georg-Augustus-Universität zu Göttingen*. Gött. 1765, t. I. p. 314. sq. Seriem Prorectorum (1734—1788) invenimus in eodem libro, t. II. p. 372 sq. Eius continuationes leguntur apud SAALFELD (1788—1820) in eiusdem operis t. III. p. 29 sq. et OESTERLEY, ibid. t. IV, in tabula pag. 47 adposita (1820—1837). In Ordinatione Georgii II. art. 4 legimus: „Das Officium Prorectoris soll ein „halb Jahr dauren, und nach der in den Sta„tutis generalibus Academiae vorgeschriebenen „Ordnung von einer Facultät zu der andern „damit abgewechselt, für das erste mahl aber „von der Theologischen Facultät, und zwar von „dem Seniore derselben der Anfang gemachet

und so weiter bey denen halbjärigen Abwechselungen continuiret werden."

a. 1743. *Erlangae.* Primus Prorector *Andreas Elias Rossmann.* Cf. Ioh. Paul. REINHARD, *Memoria Andr. El. Rossmanni.* Erl. 1767. f. Successorum catalogum (1744—1797) recensuit G. W. A. FIKENSCHER, *Geschichte der Friedrich-Alexanders-Universität zu Erlangen.* Cob. 1795, p. 457—461. Eiusmodi seriem non continuatam esse miror in opere eleganti cl. ENGELHARDT, *Die Universität Erlangen* von 1743 bis 1843. Erl. 1843. 8.

Recentiores Universitates omitto.

P. 14. *Ut — omnia Parisinae Universitatis formam adsciverint.* An idem quod ad nationum diversitatem valet de Schola Vercellensi? Optime ad hanc quaestionem negando respondet SAVINIUS, l. l. III. 311 sqq. In Aretina schola a. 1255 Statuta a doctoribus sunt condita, quibus Rector praeerat Martinus de Fano: exhibet ea SAVINIUS, l. l. 671 sqq. „Betrachtet man" (ita ille) „diese Urkunde als eigentliche Universitäts- „statuten, so weichen sie von allen bisher dargestellten „darin ab, dass die Gewalt allein bey den Lehrern zu „seyn scheint. Allein eben dieses ist sehr unwahrschein- „lich, und auch nach dem Inhalt scheinen es vielmehr „blosse Statuten für das Collegium der Doctoren zu „seyn, deren Vorsteher hier zufällig den Namen *Rec- „tor* führt." Ibid. 314, 315. Huic tamen sententiae obstant ipsa Statuti verba, quae eadem fere tangunt argumenta, alibi in legibus Studiorum domesticis tractata; et nullum praeterea in aliis documentis ad huius scholae historiam pertinentibus exstat vestigium aucto-

ritatis, quam in Universitatis ordinatione scholares exercuerint.

Exemplum Academiae Heidelbergensis. „— — His „igitur omnibus et praesertim ydoneitate dicte ville „que ad multiplicanda sane doctrine semina et germina „salutaria producenda magis congrua et accommoda „inter villas dicioni predicti Ducis subiectas fore di-„citur diligenti examinatione pensatis non solum ad „ipsius ville sed etiam regionum circumadiacentium „incolarum commodum et profectum paternis affectibus „anhelantes predicti nec non dilectorum filiorum nobi-„lium virorum Ruperti iunioris et Ruperti preiunioris „Ducum Bavarie in hac parte supplicationibus incli-„nati, ad laudem divini nominis et fidei propagationem „orthodoxe auctoritate apostolica statuimus et etiam „ordinamus, ut in dicta villa de cetero sit *studium* „*generale adinstar studii Parisiensis* illudque perpetuis „temporibus inibi vigeat tam in theologia et iuris ca-„nonici quam alii qualibet licita facultate, quodque „legentes et studentes ibidem omnibus privilegiis liber-„tatibus et immunitatibus concessis Magistris in theo-„logia ac Doctoribus legentibus et studentibus commo-„rantibus in studio generali Parisiensi gaudeant et „utantur." Urbani VI Bulla ap. KREMER, Incunabula Universitatis Heidelbergensis, in *Act. Acad. Theodoro-Palat.* I. 389. sq.

Marsilius ab Inghen. Accurate de hoc viro eximio scripsit WUND, in Commentatione historica, *de Marsilio ab Inghen, primo Universitatis Heidelbergensis Rectore et Professore*, Heidelb. 1775, 4, ubi bene multos aliorum refutavit errores, qui vel Anglum eum vocaverint, vel ex oppido Ingelheim in Palatinatu eum oriundum fuisse

putaverint. Anno 1378 ab Universitate Parisiensi Romam fuit missus, ut apud Urbanum VI, cuius causae ipsam ab initio favisse constat, res suas ageret. Cf. BULAEUS, IV. 466. Parisiis bis Recturam gesserat (a. 1367 et 1371), magnosque habuit labores et expensas. A. 1385 Heidelbergam petiit. „Num vero Marsilius" (verba Wundii, accuratissimi scriptoris refero) „proprio „motu accesserit, eiusque potissimum suasu sapientissi-„mus Rupertus primum de condendo studio generali sus-„ceperit consilium, vel utrum optimo Principi iam antea „propositum fuerit, eiusmodi bonarum artium domicilium „Heidelbergae constituendi, adeo ut philosophum nostrum „e florentissima Parisiensium schola evocaverit, qui ad „illius normam Heidelbergensem componeret instrueret-„que, id certo definiri nequit." Ipsa Universitatis lege „principali „statutum fuit concorditer perpetuis tempo-„ribus observandum, quod deinceps Rector solum ma-„gister existat in facultate artium, quodque, si doctor „vel magister in alia facultate existat, Rector studii „nullatenus esse debeat, *sicut hoc Parisiis est consuetum „et observatum.*"

Et Vindobonensis. Ipse Rudolphus IV in diplomate d. 12 m. Martii a. 1365 significavit suam curam, „quod in dicta uilla Wiennensi ex nunc in antea(?) per-„petuo iuxta ordinaciones et consuetudines obseruatas „et habitas retroactis temporibus, primo scilicet Athenis „civitate precipua Grecie, deinde Rome que caput est „orbis et post hec *Parisiis regni Francie ciuitate princi-„pali* scole publice ac generale et priuilegiatum studium „obseruentur." Exstat ap. KINK, *Geschichte der Kaiserlichen Universität in Wien* (Wien 1854) II. p. 4. n°. 1. In eodem diplomate de eligendo Rectore statutum: —

„totum dicte Vniversitatis Clerum in partes quatuor „diuidi, quarum quelibet Magistros et Studentes de „certis et nominatis terris habeat pro ipsarum qualita- „tibus et circumstanciis vnam facientibus nationem. Pre- „missis nihilominus adijcimus consimiliter statuentes, „ut earundem nacionum seu quartarum quelibet signan- „ter Clericorum in septem artibus liberalibus legendo „vel studendo militancium procuratorem seu causarum „et negociorum suorum gestorem habeat specialem, „qui in dictis liberalibus artibus sit Magister; qui „quatuor procuratores inter cetera officij sui debitum „tangencia toti Vniversitati Magistrorum et Studencium „in Theologia, in iure Canonico et ciuili, in Medicina „et in septem liberalibus artibus preficiendi et eligendi „*Rectorem supremum*, qui eciam sit Magister liberalium „arcium et *nullius facultatis alterius*, plenam et libe- „ram habeant potestatem. Si autem in iam tacta Rec- „toris eleccione inter dictos procuratores duo a duobus „equaliter discordarent, Rector preteritus, cuius tunc „expirauit officium, sit superior; qui si mortuus uel „tante debilitatis extiterit, quod dicte eleccioni interesse „non valeat, prepositus Ecclesie Sanctorum omnium „in Wienna, qui Vniuersitatis est Cancellarius, superior „habeatur et in quemcunque artistam dicti quatuor „Procuratores vel eorum tres vel duo vna cum supe- „riore concordauerint, tocius Vniversitatis et studij „Rector erit in presencia Rectoris preteriti et quatuor „Procuratorum anulo per nos ad hoc Universitati donato „specialiter per dictum prepositum inuestiendus de Offi- „cio Rectorie." Ibid. p. 18, 19. Quatuor nationes ex statuto d. 6 m. Junii a. 1366, erant „nacio Austra- „lis, nacio Saxonie, nacio Boemie, nacio Hungarie."

Ibid. n⁰. 5. p. 32 sqq. Anno eiusdem saeculi octogesimo quarto Albertus III Dux Universitati ius statutorum condendorum concessit et proximo iam anno promulgatae fuerunt leges domesticae, quarum tertius titulus insignitus est rubrica *de Rectore et pertinentibus ad ipsum.* Vid. KINK, II. n⁰. 12. p. 81—85. Memorabilis inprimis in Privilegio Albertino nationum descriptio. „Item ordinamus et volumus totum dicte Vni„versitatis nostre clerum *ad instar Parisiensis studij* „in quatuor partis diuidi, quas solitum est naciones „vocari, easque nacionum distincciones ordinamus et „distinguimus in hunc modum. Quod omnes Magistri „et Scolares, de nostris terris et dominiis existentes, „annumerentur sub vna nacione, vna cum sibi adiunc„tis provincijs, scilicet Patriarchatu Aquilegiensi, Dio„cesi Tridentina, Curualia, tota Italia ac cum aliis „provinciis et districtibus Vltramontanis, quam vocare „volumus nacionem Austrie, et eam inter ceteras esse „priorem. Consequenter omnes Bauaros, Sueuos, Alsa„ticos, qui non cadunt sub dominiorum nostrorum „aliquo, nec non eciam Renenses omnes *ab origine Reni* „*usque ad locum sui casus in mare*, volumus esse de „una nacione. Quibus addimus pariter et Francones et „Hassones, et si qui fuerint de prouincijs inter Fran„coniam et Bauariam aliisque superius nominatis, om„nia quoque Regna et prouincias versus occidentem et „meridiem, ut sunt Francia, Arragonia, Hispania, Na„uarra, *Hollandia*, Flandria et Brabancia. Hanc quo„que vocari statuimus nacionem *Renensium* et inter „ceteras esse secundam." KINK, l. l. n⁰. 10, p. 51. Mutata eodem diplomate Rectoris electio. „Antedicti „quatuor procuratores tocius vniversitatis Rectorem eli-

„gere habeant secularem, qui ipsis ad hoc aptus vide-„bitur, *sive Arcium sive alterius facultatis* professor „aut alias membrum Vniuersitatis fuerit et ydoneus „ad id officium gubernandum. Idemque Rector huius-„modi eleccione sola sit absque inuestitura alia confir-„mandus, ac in Rectoria eadem per anni medietatem „permansurus. In casu uero discordie procuratorum „in eleccione et divisione eorum in partes equales, „cui parti Rector qui est pro tempore vocem dederit, „Rector sit sine pluri."

Tandem Lipsiensis. Cf. omnino Friderici ZARNCKII commentatio: *Die Urkundlichen Quellen zur Geschichte der Universität Leipzig in den ersten* 150 *Jahren ihres Bestehens*, inserta Commentariis Societatis Regiae Doctrinarum Saxonicae, vol. III. (1857), cuius Prolegomena universam Academiarum Europaearum conditionem tempore medii aevii nitido quasi penicillo adumbrant.

In una Pragensi initio Italicum, mox Francicum obtinuit systema. Universitas in quatuor nationes erat divisa, Bohemicam, Bavaricam, Polonicam, Saxonicam. Nostrates Bavaricae adnumerabantur: Frisiae Orientalis cives Saxonicae. „An dem dazu bestimmten Tage „jährlich zu Georgi und Galli versammelten sich die „vier Nationen, und jede derselben wählte aus ihnen „einen Wähler; die so erwählten vier Personen wählten „andere sieben, und diese weiter erst fünf, von denen „der Rector unmittelbar gewählt wurde. Jede dieser „drei letzten Wahlen musste unter Geldstrafe binnen „einer Stunde beendigt sein. Der zum Rector erwählte „musste ein Cleriker im weitern Sinne dieses Wortes „sein, d. h. wenigstens eine der niedern Weihen er-„halten haben; ferner musste er tugendhaften Lebens-

„wandels, 25 Jahre alt sein, aus rechtmässiger Ehe „abstammen und keinem geistlichen Orden angehören. „War es Jemanden bekannt, das dem Erwählten eine „von diesen Eigenschaften abging, so dürfte er davon „gleich nach der Veröffentlichung der Wahl, welche „durch einen der fünf unmittelbaren Wähler geschah, „öffentlich die Anzeige machen, war jedoch verbunden, „wenigstens binnen 15 Tagen den Beweis zu führen, „widrigen Falls er eine Geldstrafe entrichten musste, „oder von der Universität ausgeschlossen wurde. War „seine Anklage begründet, so wurde ungesäumt die „Rectorswahl von Neuem vorgenommen. Uebrigens „konnte ein Magister oder ein Student oder sonst was „immer für ein Mitglied der Universität gewählt wer„den." Tomek, l. l. p. 9 sq. Vehementer dolendum, hunc scriptorem operi suo non addidisse textum Statutorum ac Privilegiorum, aliorumque diplomatum, studii Pragensis historiam illustrantium, quae arctissime cohaeret cum universa humanitatis et emendatorum sacrorum per Europam progressione. — Praeterea et in Culmensi Universitate anno post conditam Heidelbergensem constituenda Italicum exemplum placuit Ordinis Theutonici sociis, auctoritasque apostolica concessit, „ut in eodem oppido sit *studium generale ad in„star studii Bononiensis*, illudque perpetuis temporibus „inibi vigeat, tam in Theologia et Iure Canonico et „Civili, quam alia qualibet licita facultate, quodque „legentes et studentes ibidem omnibus privilegiis liber„tatibus et immunitatibus concessis Magistris in Theo„logia ac Doctoribus legentibus et studentibus com„morantibus in eodem studio Bononiensi gaudeant et „utantur." Arnoldt, l. mox l. I. B. 7. — In studio Ge-

nerali Erfordiensi aliquantulam systematis Italici receptam esse cernimus partem, quandoquidem Rector eligebatur a singularum Facultatum deputatis, adsumto uno e studiosorum numero, cui hoc munus Facultatis Philosophicae Decanus mandasset. MEINERS, l. l. II. 173.

In Basiliensi nobilissima literarum statione. „In „ipsa Civitate Basiliensi de cetero sit, et perpetuis „temporibus vigeat *studium generale*, tam in Theolo„gia, ac Jure Canonico et Civili quam quavis alia „licita facultate, ipsiusque studii Basiliensis Cancella„rius sit venerabilis frater noster Johannes, et pro „tempore existens Episcopus Basiliensis, ac legentes „et studentes ibidem omnibus et singulis privilegiis, „libertatibus, honoribus, exemptionibus, et immunita„tibus concessis Magistris, Doctoribus ac studentibus „commorantibus et residentibus *in generali studio* „*Nostre Civitatis Bononiensis* gaudeant et utantur. Et „insuper Cancellario, Magistris, Doctoribus et Scola„ribus dicti. Studii Basiliensis faciendi *statuta et ordi*„*nationes ad instar eiusdem studii Bononiensis*, que „tamen si rationabilia fuerint per sedem predictam con„firmentur, plenam et liberam tenore presentium con„cedimus facultatem." Bulla Pii II. d. 12 m. Nov. a. 1459 apud VISCHER, l. l. p. 269.

Cuius festum saeculare quartum nuper celebratum fuit. Vid. quae nuperrime dixit aestumatissimus Collega Georgius Guil. VREEDE, in Oratione *de Iuris Publici et Gentium praeceptis, a liberae Europae Civitatibus adversus vim ac dolum potentiorum fortiter tuendis*, p. 31 sq. Gravi morbo correpto nec solemnitatibus neque epulis interesse mihi licuit: quam vero aegrotans expertus sum Basiliensium civium, Vische-

rianae inprimis gentis, benivolentiam, eius memoriam nulla unquam, donec vivam, delebit dies.

Diu certatum fuit de optima eius instaurandae ordinandaeque forma. Primum Rectorem creavit Episcopus, secundum ipsa Universitas. Statuta a. 1465 condita, mutata et amplificata a. 1477. Quarto capite cautum *de electione Rectoris.* Controversiae tamen de hoc negotio iam diu ante subortae. Tertii anni Rectorem elegerant „Rector universique *birretati* quarumcumque „facultatum." Ecce insurgunt cives Academici, et Iuristae sibi proprium Rectorem eumque studiosum expetunt. Ad privilegia Bononiensia, bullis Pontificiis Academiae concessa, provocant. „Nach der benant „Schule ze Bononie ordenunge und satzunge so sol „ein solicher Rector der Juristen eyn Schüler und nit „eyn Doctor derselben Facultet der dazu erwelet wirt „und touglich sin der in sinem Ingang merglichen „kosten haben muss mit herlichkeit die dazu gehört „dadurch die gancze Schule eyn geruff und Rume ge„wynet." Vid. cl. VISCHER, l. l. p. 316, qui controversiarum originem, causas ac progressus eleganter enarrat, l. l. p. 100—111. Acute animadvertit idem, post repulsum Italicum Rectoris creandi morem nullos fere magistros ex Italia Basileae docuisse. Nec dubitandum est, quin ex mutata rerum facie nova incrementa ceperit nova Academia, uti egregie observavit cl. STINTZING, in *Kritische Vierteljahresschrift für Gesetzgebung und Rechtswissenschaft*, von PÖZL. t. III. (1861) p. 121.

P. 16. *Universale studium Marpurgense.* Cf. I. H. SCHMINCKII *Progr. de origine et fatis Academiae Mar-*

purgensis. Marb. 1717. 4. Repetitum exstat in I. G. KRAFTII *Observ. sacr.* p. VIII, cum huius Oratione de eodem argumento. Plura mihi suppeditavit Lud. WACHLERI *Narratio de originibus, progressu, incrementis et mutationibus, quas Academia Marburgensis per annos fere trecentos experta est*, Spec. I. Marb. 1811. 4. Exstat in Bibliotheca nostra publica rarissimum opusculum ipsi HEUMANNO incognitum: *Oratio in Privilegiorum ab Imperatoria Majestate Academiae Marpurgensi impetratorum promulgatione habita, anno* 1541, NICOLAO ASCLEPIO BARBATO, *Autore.* Item gratiarum actio per Reinhardum Lorichium Hademarium. Impressum Marpurgi, anno MDXLI. 4.

In formula reformationis. Auctor Franciscus Lambertus Avenionensis. Editionem SCHMINCKII (*Moniment. Hass.* II. 588) repetivit cl. Aem. Lud. RICHTER, in opere: *Die evangelischen Kirchenordnungen des sechszehnten Jahrhunderts.* Weim. 1846, t. I. p. 56 sqq. Verba capitis XXIX rem ita exprimunt: „Quia placuit Deo movere cor Principis nostri, ut nunc „fulgente Evangelii gloria *universale studium* apud „Marpurgum erigere velit, idque maxime necessarium „sit, ut in ecclesiis nostris multiplicentur, qui in „verbo et doctrina eisdem praesidere ac quae recta „sunt consulere possint: Interdicimus in virtute Dei, „ut nihil in ea legatur, quod negotiis regni Dei „obesse possit. In ea sint primum, qui *sacras literas* „profiteantur, et id quidem purissime, aliqui deponantur. Deinde sint, qui *leges civiles* praelegant, sic „tamen ut cautelae impiae Dei verbo circumcidantur, „et quae Dei verbo non conveniunt, per illud corrigantur. Idcirco vocentur Iureconsulti docti simul et

„pii, qui sciant Dei verbum omnium doctrinarum „adhibere censorem, e quibus si quis nonnulla contra „Dei verbum adseruerit et suo ministerio et commu„nione privetur. Tertio habeatur ad minus *unus Me„dicinae professor*, doctus simul et pius. Quarto prae„legantur *artes liberales et politiores literae*, adhibito „in omnibus, praesertim in Mathematicis, censore tu„tissimo, nempe sermone Dei. Quinto sint *Professores „linguarum*. Porro *ius* illud contra fas vocatum *Cano„nicum* omnino legi prohibemus. Qui in hoc venera„bili studio aliquid contra sanctum verbum decernere „ausus fuerit, anathema sit." WACHLER, l. l. p. 8—10. Omnino erronea sunt quae tradidit auctor opusculi *Academische Uitspanningen* superiore saeculo Trajecti ad Rhenum editi, scribens: „eene beroemde Universi„teit gesticht in 't jaar 1527, met toestemming van „Paus Clemens de VII, en met verscheiden voorregten „begiftigd door Keizer Karel de V. Doch in het mid„den der 16[de] eeuw, wanneer het licht der Reformatie „in Duitschland doorbrak en in Hessen stand greep, „veranderde de toenmalige Landgraaf Philip de kloos„ters en collegien en stelde Hervormde Professoren aan."

Instauravit Regiomonti — Albertus Marchio. Cf. Abr. HOFFMANN, *Historischer Bericht von der Academie zu Koenigsberg in Preussen und denen ersten Lehrern und Professoribus derselben*. Budiss. 1616. 4. — D. H. ARNOLDT, *Ausführliche und mit Urkunden versehene Historie der Königsbergischen Universität*. Kön. 1746. 2 vol. 8. — M. TOEPPEN, *Die Grundung der Universität zu Königsberg und das Leben ihres ersten Rectors Georg Sabinus*. Kön. 1844. 8.

In literis Universitatis Regiomontanae d. XI m.

Dec. a. 1559 ad Iohannem Albertum Megalopolitanum datis Professores mirifice recreavisse legimus, „quod „Caesarea Maiestate indulta essent privilegia *iuxta „formulam Ienensis Academiae.*" Arnoldt, l. l. I. B. 32. Sed in Privilegio d. xxviii m. Martii a. 1560 huic Universitati a Rege Polonorum concesso ipsi tributa fuit potestas promovendi, „cum omnibus aliis privi„legiis, praerogativis, exemptionibus, libertatibus, con„cessionibus, honoribus, praeeminentiis, favoribus et „indultis, quae publicis Academicis tribui aut concedi „solent aut possunt, inprimisque beneficia constitutionis „*Habita* sub titulo codicis *ne filius pro patre* etc., „cunctis simul aliis privilegiis, praerogativis, libertati„bus, praeeminentiis, honoribus, favoribus et immuni„tatibus, quae *Academiae Cracoviensi* in regno et „ditionibus nostris specialiter concessae et indultae „sunt." Arnoldt, l. l. I. B. 36.

P. 17. *Primum de Christophoro Iona cogitatum.* Vid. toeppen, l. l. p. 87 sqq. 120 sq. 124. In solemnem Universitatis inaugurationem publicum habuit sermonem, praesente Alberto. Toeppen, l. l. 111.

Mox de Abrahamo Culvensi. Errat sine dubio toeppenus, l. l. p. 91, scribens: „Abraham Culvensis hatte „*in Leyden* bei Erasmus und Goclenius, in Wittenberg „bei Melanchton studiert." Vid. de eo arnoldt, l. l. I. 31. 45. 48. 57. 64. II. 259. 364.

Melanchton Staphylum praetulisse dicitur. Vid. de eo arnoldt, I. 48. II. 85. 153. 171. toeppen, p. 107.

Georgius Sabinus. Natus Brandenburgi, d. 23 m. Aprilis a. 1508, obiit d. 2 m. Dec. a. 1560.

Epistola de aperiundo ludo liberalium artium litera-

rio. Eam ex vernaculo sermone in Latinum transtulit Melchior Isinder. Vid. TOEPPEN, l. l. 109.

O praeclaram viri modestiam. Domui suae Francofurtanae inscripsisse fertur elegantissimus poeta:

Parva quidem domus est: sed in hac habitante Sabino
Calliope sedem gaudet habere suam.

Intelligere ait Albertum, caet. Vid. TOEPPEN, l. l. 124. Eodem tempore Elbingae effloruerat schola doctoribus discipulisque insignis, auctore praecipuo Guilielmo Gnapheo, Hagano. Hic Culvensi Paedagogii Regiomontani archipaedagogo a. 1542 (1543?) successit in munere. Adfirmat quidem vir plurimum rever. GLASIUS, in opere: *Godgeleerd Nederland*, I. 531, Gnapheum fuisse Alberti Marchionis consiliarium: hanc vero quorundam opinionem tamquam erroneam iam impugnaverat cl. ARNOLDT, l. l. I. 33. Caeterum de nostratis in Borussia fatis gestisque cf. idem ARNOLDT, l. l. I. 9. 32—37. 58. 65. TOEPPEN, l. l. 934, qui tamen fallitur, ubi scribit: „Schon lange war er, nicht „nur in seinem Vaterlande *Belgien*, sondern auch in „Preussen seiner religiösen Ansichten wegen verfolgt." Multa bonae frugis idem ex ipsis fontibus in medium protulit, quibuscum conferri merentur, quae docuit doct. Henr. ROODHUYZEN JR., in opusculo: *Het leven van Guilielmus Gnapheus, een der eerste hervormers in Nederland.* Amst. 1858, ubi de Sabino, p. 42 sqq.

P. 18. *Vicit tamen Sabini sententia.* In Albertinis Constitutionibus Academiae Regiomontanae a. 1546, initio, haec leguntur:

Primo autem omnium, ut in domo patrem familias aut herum, ita in republica primarium virum, cui tota

gubernatio committatur, esse oportet. Nihil est enim perniciosius, quam si in republica aut prorsus nemo aut multi imperent, id quod sapientissimus Poeta Homerus testatur, dum inquit: Non regnare bonum est multos, unicus Rex esto. Itaque praefecimus Academiae Rectorem, qui summam in omnes potestatem et legitimam iurisdictionem atque auctoritatem habere debet. Et quoniam in caeteris Academiis Germaniae magistratum Rectoris *semestrem* esse constat, Nos quoque eandem administrationis formam e maioribus acceptam comprobamus. Itaque sexto quoque mense Rector ab universo Academiae Senatu designari usitato more debet. Initium tamen perpetuum magistratum huic Rectori nostro D. Georgio Sabino commisimus has ob causas. Primo quod inter illos, qui Nobis fuerunt constituendae Academiae auctores, non minima ipsius opera status Reipublicae huius literariae est collatus. Deinde, quod mutatio ac varietas gubernatorum initio Nobis visa est periculosa. Is nunc continuum magistratum gerere nec a dignitatis gradu dimoveri debet, quoad in Academia nostra vixerit, nisi forte vel Nobis ac Successoribus nostris gravissimas amovendi causas praebuerit, vel publici muneris pertaesus ipse aliquando Rectoratu se abdicaverit sua voluntate. Sed si quandoque contigerit, nullum ei detrimentum afferri debet. Nam deposito etiam magistratu, siquidem in Academia Nostra profitebitur, stipendium quod nunc habet, integrum retinebit. Post huius igitur Rectoris aut obitum aut voluntariam abdicationem hoc munus non amplius perpetuum, sed semestre esse debet. Arnoldt, l. l. I. Addit. 113 sqq. A. 1547 Sabino honorifice demisso Summus Imperans ad Senatum scripsit se ipsi Rectoris

munus commendare, „gnädiglich befehlende ein löbli„cher Senat nunmehr dazu gedenken wolle, auf das „alles, so denselben Inhalts der Statuten, auch Ge„brauch aller wol und stattlich fundirten Universitäten „zustehet, und zu bestellen zukommt, löblich und wol „bestellet, auch vorigen Unsern Befehlen nachgangen." Equidem lubens fateor me non plane intelligere ea quae mox sequuntur in diplomate d. 10 Aug. a. 1547: „Damit aber in dieser jetzigen Veränderung der Anfang „ordentlicher Weise gemacht, so wollen Wir das ihr, „der löbliche Senatus Unserer Königsbergischen Uni„versität, die Erwehlung des Rectoris a Facultate „Theologorum anfahen, und also folgende von Facul„täten zu Facultäten fort und fort, *wie in anderen „hohen Schulen brauchlich.*" Communem enim hunc fuisse Rectoris creandi morem nemo facile adfirmaverit. Vid. ARNOLDT, l. l. II. Addit. 27 sqq. De officio Rectoris cf. Ibid. 115 sq. In Statutis Academicis anni 1554, c. 8 *de Rectore creando* sic erat cautum.

„Rectorem Principem administrationis Reipublicae „Scholasticae legat Senatus, Virum pietate, prudentia, „honestate vitae atque eruditione spectatum, quem „Reipublicae utiliter praefuturum speret, idque Pro„fessionum ordine, ex quibus binos Rector nominabit, „de quibus suffragia ineant. Nisi forte extra hos ali„quis hunc honorem virtute, generis nobilitate, fama, „dignitateque excellens mereatur, ut sunt Barones, „Comites, Duces, Principes, quibus tamen nisi Sena„tui iuramentum praestiterint, Scholae Magistratus „committi non potest.

„Nec cuiquam natio vel patria quo minus Magistra„tum capessat, erit impedimento.

„At vero cui extra Professores, respectu Nobilitatis, „Magistratus mandabitur, illi adjungetur quasi Pro-„Rector vel ipse exacti Semestris Rector, vel alius vir „bonus, gravis, doctus ex Senatu huius Universitatis.

„Creabitur autem Rector novus singulis semestribus, „ut qui aestate Magistratum gerat, Dominica Quasi-„modogeniti, qui vero praesit hyeme administrationi „publicae, eligatur proxima a Festo Michaelis Dominica.

„Haec consuetae et solitae electioni proposita lex „esto. Neque ullius rei, aliove respectu, quam erudi-„tionis, virtutum ac vitae inculpatae, et libere suffra-„gia collaturos se, iurabunt Senatores.

„Quem plurium suffragia crearint, Magistratum ca-„pessito, eumque recusare nefas esto: Si quis hoc „fecerit, et causas non probarit, pro arbitrio Senatus „mulctam solvito.

„In renunciatione publica Rector in haec iurato: „velle se omni cura, diligentia ac fide fungi suo offi-„cio, inprimis pietatem colere, paci ac otio Reipubl. „studere, administrationem Scholasticam sedulo, accu-„rate, fideliter agere.

„Rectoris vero Provincia haec est, de iis, quae in-„ciderint, negotiis ac rebus referre ad Senatum, nisi „quae leviora erunt, quae ipse cum decanis transiget, „Sententias ordine rogare. Ne lectiones publicae va-„cent, advigilare. Compescere gliscentes dissensiones. „Contentionibus obsistere. In rixatores contumaces „animadvertere de Senatus sententia. De quibus con-„stitutum ac decretum fuerit, ea exequi. Referre in „librum ea, quorum memoria conservanda videatur. „Omnibus solennibus conventibus adesse. Nomina pro-„fitentium Studiosorum advenarum recipere, promissione

„aut iureiurando adstringere. Iudicia cum pietate, „absque ullius personae respectu animo incorrupto exer„cere. Iudicia ac sententias non vendere. Operam „dare ut in delinquentes secundum Statuta ac leges „animadvertatur. Poenas ac mulctas exigere Pedello„rum ministerio, aut ipsum solvere. Nihil adversus „Illustrissimum Prussiae Principem Remque scholasti„cam moliri ulla ratione ac via. Pecuniam a Quaesto„ribus acceptam bona fide concludere in aerarium, „nisi quid in usus quotidianos apud se Senatus volun„tate retineat. De omni pecunia fideliter rationem „reddere. Denique omnium hujus scholasticae Univer„sitatis tanquam unius Corporis membrorum, curam „gerere animo et voluntate paterna. Statuta et leges „Universitatis post Comitia proxime sequentibus diebus „pro concione studiosae iuventuti publice recitare, nec „ultra mensem illam publicationem differre."

In praeclaras Musarum sedes a proavis nostris conditas. Universe hic conferri meretur egregia HOLTII Oratio supra laudata. Add. Herm. BOUMANNI, eruditissimi et plurimum venerandi senis, Oratio *instituta Academica, quae septimo decimo seculo fuerunt in patria, cum iis, quae nunc ibidem sunt, breviter comparans.* T. a. R. 1845. 8.

In nostrae Leidensis Universitatis primordiis perlustrandis subsistam. In legibus Academiae *Groninganae,* d. XIX m. Martii a. 1615 publicatis haec de Universitatis Rectore creando leguntur:

„Et ut omnia decenter ac rite fiant, ex Professorum „ordinariorum numero unus quotannis die decimo sexto „Augusti *ab ipsis Professoribus* ordinariis, qui Sena„tum Academicum constituent, per libera suffragia in

„Curia Academiae elegitur, qui Rector Magnificus sit „Recturamque annuam gerat. Ii vero qui assideant „in Curia poscentibus rebus duo eodem loco et tem„pore et eodem modo designantur ab iisdem, uti et „Academiae secretarius. Horum omnium nomina, in„primis vero Rectoris, e vestigio per eum, qui Rec„tura est decessurus, referuntur ad Academiae Cura„tores, qui ad hanc rem loco publico conventum „agent, ut ii, nisi iustissima recusandi subsit causa, „electionem suo quoque assensu confirment; isque as„sensus statim per eundem renunciatur Senatui Aca„demico, tantisper in Curia sua praestolanti. Ut autem „huius munus anno uno definitum est, ita Assessores „eius biennio; idque hoc modo, ut alter eorum quo„tannis munere decedat et successorem accipiat, se„natus suffragiis ex senatu lectum et haud temere „alium, quam eum qui Rectoria decedit, quem Exrec„torem vocant." Anno 1642 mense Augusti, cum cl. Henricus Altingius, Rectura decessurus, de electione D. Langii ad Curatores referre deberet, proposuit prius ille Senatui, et in eius sententiam censuit Senatus: „In electione Rectoris annui ad praecidendum „ambitum et fovendam conservandamque maiorem col„legarum concordiam, *ordinem facultatum* esse servan„dum omniumque parilem habendam rationem, ut non „minus honore quam onere aequentur." Amplissimi Curatores, ad quos de voluntate Senatus cl. Altingius rem retulerat, institutum illud approbarunt suaque auctoritate sanxerunt. Ex hisce apparet non semper facillimo negotio satis fieri potuisse Ordinum Groningae et Ommelandiarum decreto d. II m. Martii a. 1618, art. 7: „Ex ordinariis professoribus Rector Academiae ali-

„quis *sine contentione aut ambitu* eligitor suffragiis „professorum reliquorum, die 16 Augusti. Electi nomen „ad Curatores Academiae transmittitor et ab iis, nisi „causa iustissima recusandi subsit, approbator."

In Privilegio d. 16 m. Februarii a. 1636 Academiae *Rheno-Traiectinae* ab Ordinibus concesso, ne verbum quidem legitur de Rectore creando, sed constituitur „eene Universiteyt ofte Academie, soo en met alsulke „magt en authoriteyt, als andere Universiteyten of „Academien van haare Souveraine Princen en Heeren, „onder haar heerschappyen of Iurisdictien gebeneficeert „en versien mogen wesen." *Groot Utr. Placaetb.* III. 486. In Legibus et Statutis huius Academiae d. 15 m. Martii a. 1644 iura quidem et officia Rectoris describuntur, non tamen de Rectore creando quidquam legitur. In Senatus actis hoc tantum invenimus, in conclavi Academico olim Rectorem esse renunciatum a primario Consule. D. 9 m. Martii dicti anni placuit, ut Rector novus renunciaretur per Secretarium et per eundem praelegerentur Leges Academicae, statim a recitata Oratione a Rectoratu defungente: sed postea maluerunt D. D. Consules ac Senatus Urbanus novum Rectorem in conclavi Academico renunciari. Haud raro in Actis expressum „Rectorem a Consulibus et Sena„toribus lectum designatumque esse", additumque fuit nonnumquam electionem factam esse „op voorstel van „de Heeren Burgemeesteren en Gecommitteerden tot de „Academische zaken." In SCto d. 21 m. Novembris a. 1703 de munere Sculteti Superioris cautum fuit art. 4: „dat den Schout rang sal hebben voor Borge„meesteren, gedurende den tijd van zijn Schout-ampt, „uytgesondert *saken de Academie concernerende.*" *Gr.*

Utr. Plb. III. 211. Nihilominus tamen a 1750 Rectorem creatum esse legimus „ingevolge de missive van „Zijne Hoogheid, op 't voorstel van den Heer Hoofd-„officier en Burgemeesteren, door de Vroedschap", praesentibus serenissimis Principibus adolescentibus Nassavio-Usinganis aeque ac Principe Anspachiano. Mirari licet in Actis inde ab eo tempore primum nominationem Sculteto Superiori et Burgimagistris tribui, post annum vero 1758 Burgimagistris ac deputatis ad res Academicas procurandas. A. 1789 epistolae a Principe Hereditario ad Concilium Urbanum iterum fit mentio. A. 1794 simpliciter legimus magistratum (vroedschap) creasse Rectorem; anno proxime sequente idem fecit „de provisionele Municipaliteit"; a. 1796 Rectorem *nominarunt* qui vocabantur „Gecommitteerden „tot het publiek onderwijs", *creavit* Concilium Urbanum. Turbatis quae mox secuta sunt temporibus, singulis fere annis alia usurpari debuit formula.

Academiae *Franequeranae* Leges ac Statuta, quae LX articulis absolvuntur, decreto Novemvirum ex Ordinibus Frisiae deputatorum d. 30 Martii a. 1586 condita, adprobata confirmataque a Summo Imperante in Comitiis d. 20 m. Aprilis eiusdem anni. Primo Academia anno (1585) Rectorem non habuit: Martinum Lydium proxime sequente summum Magistratum salutavit.

In Academia *Gelro-Zutphanica*, quae Harderovici floruit, non Professores sed Curatores Rectorem creabant: penes hos libera fuit electio. Ex documentis, quae hodie supersunt, indicia erui possunt, quibus probetur, Professores haud raro sibi Rectoris munus expetivisse. Movebantur plerumque Curatores aequitatis

rationibus, ut unum alteri praeferrent; semel, in Curatorum dissensione, sortito Rector creatus. Vid. Herm. BOUMAN, viri cl., *Geschiedenis der Geldersche Hoogeschool*, II. 29. Nulla quidem Ordinum Gelriae, nulla Concilii Urbani auctoritas in Curatorum benivolentia uni alterive e Professorum numero concilianda: maxime vero valuit Principum, inprimis Guilielmi III, Academiae instauratoris, favor. Caeterum conferri meretur BOUMANNI opus supra laudatum, II. 19, 321, 335, 385, 523.

Prima legis Academiae formula. Eius notitiam debemus cl. N. C. KIST, qui chartam, emtionis titulo sibi comparatam, ex autographo edidit suisque ornavit observationibus in opere: *Bijdragen tot de vroegste geschiedenis en den toekomstigen bloei der Hoogeschool te Leiden.* Leid. 1850. p. 6—37. Primo art. haec leguntur: „In den eersten, dat bij die van de Univer-„siteyt die nu zijn ofte namaels wesen zullen gecoren „zall worden een rectoer, wiens offitie een jaer sall „geduyren, welverstaende dat de zelue rectoer bij „zijne absentie ofte siecte een vicarius zall moegen „kiesen bij consent van zijn assesseurs. Des zall bij „die van tzelue collegie voor deerste reyse nominatie „van zeeckere persoonen gedaen ende zijn Excell. ge-„presenteert worden om̃e bij zijne Excell. een rectoer „ende oock assessores gecoren ende gestelt te werden „naer behooren." Nuperrime e viri clarissimi Bibliotheca haec chartula in Academicam transiit, ex benivolo Curatorum decreto.

P. 19. *Displicuit — Professoribus.* Inter *Capita constituendae Lugduno-Batavorum Academiae, de quibus*

Theologiae et Artium Professores nuper vocati sententiam rogati fuerunt ab Illustr. Principe et Ordinibus, ab eodem cl. KIST, l. l. p. 23 sqq. primum edita, haec quae adtuli scripta reperiuntur, „quo sic etiam „fiat Academiae cum Ecclesia coniunctio testatior."

Princeps Gulielmus — dedit legem. D. 2 m. Iunii a. 1575. Invenitur in opere cl. SIEGENBEEK, *Geschiedenis der Leidsche Hoogeschool*, t. II. p. 299 sqq.

P. 20. *Maioris partis Senatus Academici suffragiis.* Anno 1608 cum in nominatione Rectoris nominati singuli haberent sex suffragia, iterata fuit nominatio. *Act. Senat.* MSS. vol. VIII. 91 vso. Cum vero a. 1704 paria vota haberent cl. Bidloo et Holton decretum fuit, ut in posterum quaestio sorti decidenda permitteretur. Idem a. 1684 factum fuerat, divisis inter Senguerdum et Gronovium suffragiis. *Act. Sen.* vol. XII. 157 vso. Singularum facultatum, quo ordine sequuntur, rationem esse habendam, anno primum vicesimo nono saeculi decimi septimi decreverunt Senatus socii. *Act. Sen.* MSS. vol. IX. 36 vso.

Absentiae morbive causa. Anno 1674 cum petivisset cl. Böckelmannus, ut Senatus ipsum a nominatione propter valetudinem minus prosperam excusare vellet, decretum fuit, illud esse negandum, cum res et nova esset et mali exempli. *Act. Senat.* vol. XII. 32.

P. 21. *Primum Academiae Rectorem.* „Die electie „ofte creatie van den eersten Rectoor ende Assesseurs „hebben wij behouden aen ons ordonnantie, sulcxs „voor dit jegenwoordige loopende jaer tot Rectoor „Meester Petrum Thyaram, ende tot Assesseurs, Mees-

„ter Johan Feugeret, Doctoor in de Godtheyt, Cor-„nelis de Groot, Rechtgeleerde, Geraert Bonte, Mede-„cyn, Basilium Pithopeum, Latynsche Professeur."

Deliberatum ad quem esset deferenda electio. Haec et quae sequuntur verbotenus ex Actis Senatus Academici MSS. desumta sunt.

Ipsi praeferendus Leycestrius. Cf. *Act. Senat.* MSS. vol. VIII. 22. Literas, quibus d. 3 m. Febr. a. 1588 Iusto Lipsio Recturam prorogavit Mauritius Nassovius publici iuris fecit Franc. FABRICIUS, in Orat. *in natalem centesimum et quinquagesimum Acad. Lugduno-Batavae.* L. B. 1725, Not. p. 9.

Duo professores Hagam missi. Scil. d. 14 m. Ianuarii a. 1651. Cf. *Act. Senat.* vol. IX. 105.

P. 22. *Decreverunt — se electionem sibi reservare.* A. 1653 Rector electus est a Deputatis Ordinum Hollandiae et Westfrisiae. Cf. *Act. Senat.* vol. IX. 111 vso.

Vitriarius. Act. Senat. vol. IX. 141.

P. 23. *Qui Teutonicam callerent linguam.* Quae sequuntur in textu ad verbum fere desumta sunt ex Actis Senatus ineditis. De Donelli statione Leidensi conferri meretur doct. A. P. TH. EYSSELL, *Doneau, sa vie et ses ouvrages.* Dijon 1860. p. 117 sqq. et p. 329—344.

Non domesticam voluerunt scholam. Vid. TE WATER, *Narratio de rebus Academiae Lugduno-Batavae*, p. 15 sqq. HOLTIUS, l. l. p. 24 sqq.

P. 25. *Voti compos factus non est doctissimus Boerhavii praeceptor.* Scilicet a. 1678. Sequenti tamen

anno iterumque decennio post magistratum Academicum gessit. Vid. Fasti Rectorales, ad calcem opusculi typis descripti.

Omnia haec a Proceribus Hollandiae mutata. Lex d. 1 m. Octobris a. 1631 iterata vice edita fuit cum separatim, tum in eximio opere: *Handvesten der stad Leyden*, uitgegeven door P. VAN MIERIS, p. 536 sqq. Cf. SIEGENBEEK, l. l. II. 313.

Ordo, qui recentiori aetate obtinuit perpetuo. Antiquam legem sine dubio respexit auctor Edicti Regii d. 2 Augusti a. 1815, n⁰. 14, cuius etiamnunc vigentis art. 279 cautum: „De waardigheid van rector der „hoogeschool, welke den titel van *rector magnificus* „geeft, is niet bestendig; zij gaat jaarlijks op den van „ouds daartoe bestemden jaardag der hoogeschool van „de eene faculteit in de andere over, ten welken einde „jaarlijks veertien dagen vóór dien jaardag, of zoo „veel vroeger als noodig zal zijn, om vóór den jaar„dag der Akademie voegelijk antwoord te kunnen ver„wachten, aan Ons door den senaat eene nominatie „van vier personen *ter uitkiezing* zal worden aangebo„den; op deze nominatie wordt de faculteit, waartoe „de afgaande rector behoort, met stilzwijgen voorbij„gegaan; de faculteit, welke gedurende den langsten „tijd geenen rector gegeven heeft, boven aan geplaatst „en de daarop volgende de tweede, en zoo verder, „terwijl uit elke faculteit die persoon wordt voorge„dragen, welke gedurende den langsten tijd geen rec„tor geweest is, of die waardigheid in 't geheel nog „niet bekleed heeft." *Nominare* Rectorem futurum perhibetur Senatus Academicus, sed re vera illud facit ipsa lex: *creare* Rectorem Rex dicitur Augustis-

simus, et sine dubio ius eligendi habet: attamen si quando creare Ipsi placeat eum, qui non primo loco nominatus est, semper ex hac lege is, qui superiori anno Principi displicuit, proxime sequenti iterum primo loco nominabitur, neque ante primo loco nominari desinet, quam vel Rector sit tandem creatus vel vita functus, vel munere professorio liberatus. Hinc porro sequitur, omnes Professores qui ad eandem facultatem vocati sunt post illum, quem modo significavi, numquam ad Rectoriam dignitatem pervenire posse. Quod non tantum cum aequitatis principiis pugnare, verum et Regiae maiestati derogare arbitror.

P. 26. *Acerbe hanc mutationem perstrinxerunt nonnulli.* Respicio adnotationem cl. COLONII, quam adscripsit suo Statutorum exemplari, in scrinio Senatus Academici servato. — Caeterum omnium Professorum, qui in Academia Lugduno-Batava Rectoris munere functi sunt, seriem edidit collega aestumatissimus, quem saepius laudare mihi licuit, cl. Nic. Chr. KIST, in Commentationibus a Societate literis Neerlandicis promovendis destinata editis, *Nieuwe Reeks der Werken van de Maatsch. van Ned. Letterk. te Leiden*, VII. I. (1852) p. 106—115. Hac autem in Serie, quae, si unum excipias annum 1676, accurata dici meretur, etiam numerum invenies studiosorum a singulis Rectoribus Albo Academico inscriptorum.

Iustamne hi moverint querelam, caet. Haec scripseram antequam ad me pervenissit Meinersiana Universitatum Historia. Auctoris verba (l. l. IV. 223) cum dictis ab omni parte conveniunt. „Zu den grössten „Gebrechen (ita ille) von Universitäten zählte man

„mit Recht die Art, wie bisher das wichtigste aka-
„demische Amt, das Amt eines Rectors oder Prorec-
„tors besetzt wurde, und noch immer besetzt wird.
„Das Rectorat oder Prorectorat wanderte nach den
„bisherigen Statuten der Deutschen Universitäten von
„einer Facultät zur andern, in jeder Facultät, von
„dem ältern Mitgliede zu dem jüngern fort; und fing,
„wann es alle Facultäten zurückgelegt hatte, seinen
„Kreislauf von neuem an. Man erkannte allenthalben,
„dasz zur Führung dieses Amts nicht gemeine Eigen-
„schaften des Geistes und Herzens erfordert würden;
„und doch fragte man nirgend, ob der Candidat, den
„jetzt die Reihe traf, die erforderlichen Eigenschaften
„besitze. Ja man gab so gar zu, dasz Männer, welche
„es durch die That bewiesen hatten, dasz sie zur
„Führung des Prorectorats nicht tüchtig, oder gänzlich
„untüchtig seyen, dennoch die Verwaltung desselben von
„neuem übernahmen. Man klagte allenthalben, dasz
„in der abwechselnden Folge von bald tüchtigen, oder
„halbtüchtigen, bald gänzlich untüchtigen Prorectoren
„der vornehmste Grund liege, warum die Disciplin auf
„den meisten hohen Schulen so schlecht sey, indem ein
„einziger untüchtiger Prorector das verderbe, was meh-
„rere tüchtige Vorgänger eingerichtet, oder wiederher-
„gestellt hätten. Und aller dieser Klagen und noto-
„rischen Gebrechen ungeachtet dachte man dennoch
